

perculit, tum Ciceronem ipsum haud sprensum discipulum.

Ad hanc coagmentationem, de qua supra diximus, conflandam principem locum obtinuit Tarsus, celeberrima illa Ciliciae civitas, quae, ut noster ait, velut alter equus troianus complures e suis lateribus effudit philosophos, qui ubique, sed Romae praesertim, philosophiam docuerunt. Hinc Zenon discipulus et successor Chrisippi et Panaetii magister, hinc Athenodorus Pergamenae bibliothecae praefectus et Catonis uticensis familiaris, hinc Athenodorus alter Sandonis filius Octaviani magister, hinc Nestor ille Stoicus adolescentis Marcelli et fortasse Tiberii magister. Quorum omnium philosophorum cum doctrinam inspexerit, e variis rivulis conflatam, sed praesertim e Pythagorae adytis et e porticu, noster Tarsensem scholam laudat, in qua Graecorum philosophia ditata est Veteris Testimenti sapientia et afflatus. Et Paulus apostolus gentium tarsensi doctrina imbutus est, antequam Hierosolymam ad Gamalielis scholam veniret.

Ita fit, ut haec Tarsensis philosophia Romanum invecta cum Veteris Testamento libris, quos Seneca, ut multi alii, lectitabat, non solum Senecae et scribendi generis et sentiendi novitatem explicet, sed etiam miram inter Senecam et Paulum tarsensem congruentiam.

In reliquis partibus sui operis De Paola uberrimos locos refert cum de Senecae scriptis, tum de Vetere Testamento et de Sententiis Sexti sumptos ad confirmandum quod asserit sive de Deo et eius providentia, sive de anima eiusque sorte, sive de vita «ascetica», de humana societate et de sapiente. Hoc opus, diurni laboris fructus, magna laude dignum mihi videtur et aptissimum ad cognoscendam aetatem illam, qua doctrina christiana per Apostolos et Christi asseclas in mundum vulgata est.

Ad quod conficiendum fortasse noster impulsus est mira illa congruentia inter Senecam et Paulum apostolum, qua Tertullianus Senecam *saepe nostrum* appellavit.

At, meo quidem iudicio, haec, quae De Paola impulit ad scribendum congruentia litteras, ut ita dicam, non animum Senecae ac mentem attingit; Seneca enim virtute hominem Deo parem vel praestantiorum esse affirmat, dum Paulus cum de se ipse dicit: «Gratia Dei sum id quod

sum», virtutem vacuam et inanem esse iudicat, si Dei gratia et caritate careat.

Ceterum auctor noster quod voluit plane est assecutus, et luculente ostendit quid fuerit Philosophia Tarsensis et quantum Seneca ex ea traxerit.

Optandum est ut multi nostrorum temporum litterarum cultores ad haec studia trahantur, et iuvenes hac tam gravi tamque salutifera disciplina imbuant, quae iam diu nimis exolevit.

B. F.

VITO COSTA, *Il congiuntivo greco particolarmente in Omero* (Edid. typ. Sandron, Panormi, Mediolani; ven. lib. 8).

In opusculo hoc de Coniunctivo graeco Vitus Costa, diligentissimus inquisitor, non nova equidem de hac grammaticae parte profert, sed, praecipuus philologos, qui appellantur, secutus, Germanos praesertim, quorum lingua, ut videtur, apprime novit, quae de hac re ab illis scripta sunt sapienter colligit et plane exponit.

Quae ut confirmet, uberrimos locos cum de atticis scriptoribus tum maxime de Homero sumptos in altera operis parte affert ad rem delectos; qua in re peritiam atque usum graeci sermonis ostendit.

Coniunctivo, qui tempore futuro caret, utopte qui exspectationem significat et voluntatem, frequentius Homerus utitur quam attici auctores pro futuro, atque cum particula κέν vel ἀν in propositionibus finalibus, relativis, temporalibus, etc.

Bonam rationem ac viam secutus, adiunxit operi bibliographicam, quae dicitur, notam et indicem auctorum, quorum locos attulit; quam ob rem spem concipere possumus illum maiora et graviora summa laude suscepturum.


B. F.

IMPRIMATUR:

† Fr. A. C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



VARIA

Utrum tranquillitati reipublicae magis perniciosi sint qui acquirere quidam desiderant, an qui res partas conservare cupiunt.¹

Ad eam quaestionem qua disputatur num ii perniciosi sint tranquillitati reipublicae magis qui acquirere quidam desiderant, an vero qui res partas cupiunt conservare, conferet nobis M. Menenii exemplum. Qui ex plebeis ipse dictator creatus cum Marco Follio magistro equitum, itidem plebeio, ad investigandam coniurationem, quae Capuae adversus rempublicam facta fuerat missus, simulque mandatum a plebe accepit, ut in eos animadverteret, qui Romae largitionibus et ambitione ad consulatum ceterosque honorum gradus aspirarent, in patriciorum invidiam incidit. Nam quum ii existimarent hoc mandatum imperiumque dictatori adversus sese traditum a plebe fuisse, conqueri coeperunt, non nobiles eos esse qui per ambitionem ad honores aspirarent; sed plebeios, quos, quod neque maiorum splendori, neque propriae virtuti confidere possent, oportet largitione et malis artibus eo eniti. Atque has calumnias quum in dictatorem praecipue coniicerent, tantum utique affecerunt, ut dictator, concione advocata, conquereretur de calumniis patriciorum, depositaque dictatura, se populi iudicio submitteret. In cuius causae tractatione, eiusdem huius quaestio[n]is mentio facta est; ipse tamen fuit absolutus. Quum autem et eius qui parere, et qui parta tueri cupit, desiderium permagnos motus in republica excitare queat, maior tamen est vis eorum qui iam possident; nam amittendi metus eosdem impetus in iis excitat, atque in aliis acquirendi studium. Nec videtur cuiquam, quod satis tuto res suas possideat, nisi easdem simul au-

¹ Ex NICOLAI MACCHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine versit E. BINDI.*

gere queat. Quibus accedit quod propter potentiam maiorem vim habent rempublicam turbandi, et largitionibus suis in tenuioribus excitant varias cupiditates, variose animi motus.

Paroemiae sive adagia**SUIS CUM MINERVA CERTAMEN**

Dicitur quoties indocti stolidique et despugnare parati non verentur summos in omni doctrina viros in certamen litterarum provocare.

CUM VULPE VULPINARE

Est: Cum astutis astutiis agito. Horatius: Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.

(Verbum «vulpinari» est apud Varro nem).

locosa**TUCCIU[m] domi.**

— O quantum algoris in hoc meo cubiculo! Thermometrum calefaciam!

TUCCIU[m] in schola.

MAGISTER: — Quot menses viginti et octo diebus constant?

TUCCIU[m]: — Hercle! omnes.

Aenigmata**I**

Me vetulam produnt rugae gressusque vacillans.
Unam litterulam conduplicare libet?
Praetereo sensim volvendis mensibus atque
sponte ubi decessi, sponte renascor item.

II

Spinis te laedo. Mutasti si mihi frontem,
vix bene sum natus, me bibt aura vorax.

III

Putribus immineo tectis, quae saecla tulerunt.
Praefice litterulam: me parit acre gelu.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) Pyrrha-Pyrrhus;
2) Villa-Favilla.

Ann. XXIX

Romae, mens. Martio-Aprili MCMXLII

Fasc. III-IV

INVENTATI AL N.
DISLICETEA
STUDI ROMANI
di MACHIAVELLI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXLII est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solendum rectoque tramite mittendum sive ad IOSEPHUM FORNARI doct. Roman, Via di S. Maria dell'Anima, 39 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

AD SUMMUM PONTIFICEM PIUM XII

PACIS SEQUESTREM

QUARTO ORIENTE SACRI PRINCIPATUS ANNO

NOMEN OMEN

Taetro mersa Chao, vernavit terra, Creator
cum turbulentas Spiritus
pervolitavit aquas.

Distulit horrendas aethra lux alma tenebras
rerumque mox discordiam
foedere iunxit amor.

Heu, miseris iterum terris nox ingruit atra,
mater nefasta luctuum
lis et ubique furit.

Gens humana ruit saevo devota piaclo,
tabescit expes, ultima
iam sibi fata timet.

Diditur at luctus inter cladesque tremendas,
solamen unum cordibus,
vox tua, summe PIE,

qua populos crebro tot tempestatibus actos,
verae, Magister, edoces
pacis inire viam.

Scilicet excurrit turbato rursus in orbe
novator ille Spiritus,
unde refulsit opus

congerie e caeca primum mirabile mundi,
fundente Te per aethera
nuntia saepe pia.

Impiger hoc proceres instas populosque mo-
[nere,
ut imperet lex moribus
vis pereatque ferox.

Quì novus afflictis consurgat gentibus ordo,
fuso auspicatus sanguine,
lex nisi dia basim

praebat, atque semel pacti reverentia iuris?
ni rite mores civicos
imbuat ipse Deus?

Te, Pater, optamat tellus manet auspice pacem,
nam nomen omen. Pacifer
diceris atque PIUS:

Pacifer, et gentes Christi stimulatus amore,
desaevientes invicem,
consociare studes;

tum PIUS, et mentes, mundi post ludicra ca-
[ptas,
pergis fluentis gratiae
conciliare Deo.

HIRPINUS.



DE INGENIORUM DELECTU AD STUDIA LITTERARUM HABENDO

Quod sint semperque fuerint homines sic mente et ingenio destituti, ut ad optimarum artium studia inepti prorsus exstant, nemini obscurum esse arbitror. Quemadmodum enim natura non omnibus agris fertilitatem est impertita, sed infoecundos sterilesque nonnullos deseruit, qui, quocumque labore aut industria excolantur, frugem nullam afferunt; ita iuvenum ingenia aliquando videoas sic effoeta atque arida, ut ab iis nullus doctrinae fructus sit exspectandus. Eiusmodi olim fuisse sive caeli atque aëris crassitie, sive alio quovis eius regionis vitio Boeotii atque Thebani dicuntur, quos multum virium, ingenii minimum habuisse legimus. De Thracibus autem meminisse omnes puto quod Aristoteles tradidit, eos ingenio tam pingui fuisse ac memoria propemodum nulla, ut ne quaternarium quidem numerando transcendere valerent. Ex hoc nimirum genere procreatos crediderim esse non paucos adolescentes, quorum cum ingeniiis qui conflictatur, litus quidem arare, quod aiunt, aut Isthmum fodere suscepit. Haec tamen calamitas non tam saepe accideret, si bonarum artium professores aut misericordia erga miseros istiusmodi iuvenes commoti, aut conscientiae stimulis acti, Alabadensis Apollonii rhetoris praeclaro satis exemplo ineptos hosce discipulos operam apud se perdere nequaquam paterentur, et ad quam unumquemque artem idoneum iudicant, ad eam serio cohortarentur atque dimitterent. Sed valeant iam, valeant quotquot invita Minerva nati musas et Apollinem aversantur. Eos enim compellat oratio mea adolescentes optimos, praestantiori indeole ac felici ingenio ornatos, quos Isocrates Deorum immortalium filios appellare solebat, quippe qui intelligendi facilitate ac divino ingenio parentes Deos referre videantur.

Eos, inquam, spectat quicquid de ingeniorum delectu instituendo brevi hic dicam. Inter eos enim alios in mathematicis disciplinis, alios in physicis, alios in arte medica, alios in iure civili, partim in re poëtica, partim in dicendi facultate praestantissimos fore non dubito; si unusquisque eorum in id studendo sedulo incumbat, ad quod natura duce propendet, et ad quod prope factus esse appetet. Quemadmodum enim, ut poëta inquit, non omnis fert omnia tellus; ita sane non omnes, qui nostra vel maiorum aetate claruerunt homines sapientissimi, omnem artem assequutos fuisse videmus, sed singulos in singulis praestitisse.

* * *

Atqui in re, primo nobis diligenter est attendenda mira illa ingeniorum varietas, qua homo alter alteri non minus est, quam vultu atque ore dissimilis. In aliis enim intelligendi acumen et sagacitatem incredibilem admiramus, qua facile omnium oculos ad se convertunt oratione venusta atque expedita, tum etiam salibus et iocis, quos semper in promptu habent, quibus ipsi saepe maiorem sibi opinionem, quam alii multo studio ac diligentia creant. In aliis vero tarditatem et quasi stuporem quandam mentis videmus: qui sermone parci sunt ac statarii, ut proinde illis oratio non tam fluere, quam stillare videatur. Alii autem intelligendo minus acuti, nihilominus memoria pollut firma et praestantissima: alii contra ingeniosiores, sed omnium maxime oblivious; alii denique tum memoriae vi, tum intelligentiae acumine instructi, utraque facultate mirum in modum excellunt. Varias huiusmodi ingeniorum formas planum est e multiplici diversoque, quod unicuique inest, temperamento proficisci: quum satis exploratum sit, non aequalem semper in nobis percipiendi facultatem, quae a sensibus ortum habet, vigere; sed pro diversa corporis temperie illam modo acrem et robustam, modo fra-

ctam et imbecillam existere. Quum itaque tanta sit ingeniorum dissimilitudo, quanta vix corporum esse solet; quis non videt dissimilem inde singulorum virtutem fore, nec eundem unquam ab universis progressum esse sperandum? Platonem legimus ingenia hominum cum metallis comparare fuisse solitum: quorum alia quidem aurea, alia ferrea, aut plumbea, partim stannea, partim argentea, partim denique e variis conflata metallis esse dicebat. Quod quidem in rem nostram quadrare satis apte videtur. Quandoquidem ad divinas et sublimiores disciplinas, quae aurea nimirum ingenia exigunt, is frustra incumbit, cui ferreum, vel plumbeum, ut Platonis more dicam, ingenium habere contigit. Frustra subtiliora geometriæ problemata, frustra reconditos naturae aditus rimari tentant ii, quibus hebetior mens et tardi ad percipiendum motus. Reptare humi contenti sint, quibus natura volucre negavit ingenium, quo ad alta ferantur, ne Icari audaciam imitari velle videantur.

* * *

Quemadmodum autem non eadem est, ut paulo ante dixi, in omnibus intelligendi facultas, sed varia admodum et multififormis; ita quoque multiplex et diversa est natura disciplinarum, quae non omnes idem ingenii acumen, sed diversos intelligendi gradus virtutesque depositunt. Quaedam enim, ut algebra, ut metaphysica, ut theologia aliaeque plures ad contemplandum natae singularem percipiendi celeritatem et igneam vim mentis postulant. Quaedam vero tarditatem magis quandam amant cum ingenii maturitate coniunctam, ut medicina et iuris scientia. Aliae per amplum volunt, ubi spatiuntur memoriae campum, quemadmodum historia, geographia et omnia fere linguarum studia. Aliae denique cum tenaci memoria ingenium vividum et bene subactum; quales sunt dicendi facultas, ars critica, et quae de theologicis dogmatibus

agit divina doctrina. Quocirca et si per se difficile est rem amplissimam definire et certam unicuique disciplinae mensuram ingenii tribuere; hoc tamen ex eo difficilis esse video, quod praeoccupatam quisque habeat de ea, quam profitetur, doctrina opinionem; ad quam ingenium longe omnium optimum deposci omnino sibi persuadeat, et alter alteri concedere haudquam velit.

* * *

At vero negari non potest id, quod experientia fere quotidiana exploratum est atque perspectum, duos scilicet homines et ingenio et pari industria praestantes persaepe in una eademque facultate atque eodem magistro non aequaliter proficere: imo aliquando fieri, ut alter incredibilis in eo studii genere progressus faciat, in quo alter sic haeret atque implicatur, ut ab eiusmodi vadis emergere nullo modo possit. Quid ita? Nonne quod alter quamquam intelligendi vi multa praeest; eo tamen ingenii temperamento caret, quod ad eius generis disciplinam est apprime necessarium? Usurpari enim solet communis sermone, et quasi proverbii locum obtinuit: poetas quidem nasci eosque non tam arte ac studio, quam natura et divino quadam instinctu valere. Homines enim quum viderent aliquos ad pangendum carmen mira ingenii facilitate duci, aliis vero per diuturnos labores ac vigilias id minus licere, poetas caelesti quadam vi ac divino spiritu afflari putarunt. Quocirca si quid fingere ac poëticę ludere velint, non intercedo. Si vero quae caussa sit serio requirant, hoc pro certo habeant, ad poëticam facultatem ebullientem ingenii fervorem et ingentem mentis impetum postulari, quo homines quodammodo furere et oestro quadam perciti esse videntur. Hoc autem qui carent, frustra musis et Apollini litare contendunt. Quambrem, ut Quintilianus animadvertisit, optimus quisque poëta is esse debet, qui sibi et res et actus simillimos veri scite

ac venuste confingere valeat. Quod quidem de poëtis argumentum nemo non videt in ceteras quoque disciplinas satis comode cadere. Atque hinc M. Tullius ad informandum eum, quem ipse in libris *de Oratore* instituit, optimum dicendi magistrum, id maximae curae esse debere ac præ ceteris attendendum monet, ut primo ingeniorum delectus diligenter accurateque habeantur. «Praecipuum est, — inquit, — ut doctor animadvertis ingenium et naturam discipulorum». Quintilianus autem, de quo paulo ante, aestimando; um et ipse ingeniorum peritissimus, examen huiusmodi tanti quidem fecit, ut illud iam inde a pueritia omnino fieri iubeat. «Tradito sibi puer, — ait, — docendi peritus ingenium eius in primis naturamque perspiciat». Intelligebant quippe homines sapientissimi, naturae non debere vim fieri, sed ad quod unumquodque natum est, eo esse adhibendum. Siquis enim a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis pingendi artem non alio nisi natura duce imitetur; non est, cur in consecrandis latinae linguae elegantiis, aut in dialecticorum subtilitatibus exstricandis aetatem atque operam frustra consumat. Ea ipse fervet phantasiae vi, ut quotquot sibi ob oculos rerum imagines veniunt, totidem adumbrare coloribus et non inscite exprimere valeat. Erit profecto, erit in pingendi facultate dux et imperator: at vero in humanioribus litteris, in philosophiae castris vix erit inter calones, aut gregarios milites recensendus.

* * *

Exploranda est itaque, et quidem sedulo, antequam disciplinis instituenda tradatur iuventus; ut in re tam ardua uniuscuiusque quid ferant humeri, ut aiunt, quid ferre recusent, probe internoscatur. Iure quidem merito permirum Diogeni videbatur, homines, qui neque ollam, neque operculum emerent, nisi primo idem pulsu et tinnitu satis exploratum habuissent, at vero

in homine emendo uno aspectu esse contentos. Quid vero de adolescente summae spei atque egregiae indolis, unde familiae splendor omnis ac dignitas, in una vel altera disciplina collocando? Nullumne fieri debet experimentum, nulla habenda naturae ratio, nulla de eius ingenio sollicitudo, perinde quasi mancipii alicuius emptio agatur? Quid ergo miramur, iuvenes navos et industrios in litterarum ludis tempus non minus quam aetatem terere; quum non sua, sed parentum voluntate iis studiis animum appulerint, a quibus maxime abhorrent? Istis nimur culpa parentum eorundem accidit, quod de Periandro quodam medico Plutarchus memorat. Is enim quum medendi arte satis abunde praestaret, in eam dementiam venit, ut poëta fieri vehementer cuperet, et sese totum pangendis carminibus daret. Sed quum id musis adversis faceret, pro laude cachinnos et ludibria referebat. Quare Archidamus, eius necessarius, ad sanandum tam mali poëtae furorem, eumdem graviter obiurgans: Quid, — inquit, — tibi accidit, Periander, quod pro eleganti medico malus poëta vocari appetas? — Non dissimili plane ratione plerique homines, qui oratores, aut philosophi, aut geometrae praestantissimi evaderent, quod ad eiusmodi disciplinas ingenium longe omnium aptissimum a natura acceperint; ab aliis, in quibus invita Minerva occupantur studiis, summam referunt pro dignitate ac laude vituperationem. Hoc autem quanto non dicam professorum incommodo et optimarum artium damno fiat, sed familiarum iactura, ipsi cogitent atque caveant, qui ab adolescentum institutione non patriae modo, at sibi optima in posterum exspectant.

P. LUCENSIS.

Cognito discipulo, cognosces facile qualis fuerit magister.

S. AMBROSIUS.

HISTORICAE NOTAE

Legis XII tabularum brevis expositio¹ De iure civili (Tab. IV-VIII)

Ius civile angustiore acceptione significat ius privatorum, ius quod inter cives viget; ex. gr. ius de rerum dominio, de successionibus, etc. Opponitur iuri publico tum interno (ius «constitutionale», ius «criminale») cum etiam externo (ex. gr. quod hodie vulgo appellatur «ius internationale»).

Ius civile decernit de personis, de rebus, de obligationibus tum ex contractu cum ex delicto; denique de hereditatibus et successionibus. Lex XII tabularum, licet non exhibeat ex omni parte absolutum systema, quod vocant, semen et germina tamen fovet, quae evolvenda erunt in mirum illud iuris civilis romani monumentum. Est itaque Tab. IV de iure familie, Tab. V de tutelis deque hereditatibus, Tab. VI et VII de rerum dominio, de possessione ac de servitutibus, Tab. VIII de delictis et poenis privatis.

Singula attingentes, de iure familie hodie dicemus.

Familia in iure quiritorio indolem priscam illam politicam non amisit: parvula est quaedam civitas, cuius dominus est *paterfamilias*. Omnia eius in potestate sunt, homines et res; homines, scil. uxor, filii familias sui, uxores filiorum familias, nepotes, filii alieni adoptati, aut in mancípio; res: servi, pecudes, praedia aliaque bona. Paterfamilias est sui iuris; ceteri omnes alieni iuris: hi autem aut sunt «in manu», (uxor, quae in manu convenerat), aut «in patria potestate» (liberi, hoc est filii sui, et filii alieni adoptati), aut «in mancípio» (filii alieni noxae dediti), qui ex eodem stipite, sive mare, sive foemina, cognatio-

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Novembr. MCMXLI.

nis vinculo tenentur; sed cognatio attendit in iure. Omnes qui sub eodem patre-familias sunt adgnationis vinculo tenentur; itaque filii legitimi et filii adoptivi inter se adgnati sunt, non cognati; uxores filiorum familias item adgnatae, non cognatae sunt. Uxores familiam iustis nuptiis ingrediuntur: iustae autem nuptiae illae sunt, quae contrahuntur inter cives romanos, vel inter eos, quibus civilibus modis ius est connubii.

Ad iustas nuptias requiritur 1) naturalis et civilis facultas, 2) consensus; 3) connubium.

Facultas naturalis est, ut uterque coniux pubertatem sit assequutus; civilis requirit, ut quis sit civis romanus, vel habeat ius connubii.

Consensus requiritur in iure quiritorio non tam nupturientium, quam potius patris familias utriusque, et pro viro illius quoque qui paterfamilias futurus est «ne invito suus heres adgnascatur». Consensus manifestatur imprimis «maritali affectione», ex igitur agendi ratione, quae ostendat virum et mulierem vitam acturos communem et cum maritali affectione. Alterutro vel utroque cessante, datur divortium seu repudium: perdurare censemur quousque mulier maneat in domo viri.

Connubium est facultas uxorem ducendi iure civili. Praeter statum civilem in utroque contrahente, requirit ut absint impedimenta, et imprimis cognatio. «Cognatio» late hīc sumitur, et pro adgnatione. Itaque in linea recta tot sunt gradus quot personae, stipite dempto; in linea a latere item tot gradus quot ab utroque latere personae, stipite dempto. In linea recta cognatio impedit nuptias in infinitum; in linea a latere saltem in secundo.

Adfinitatis impedimentum receptum non est ante finem Reipublicae; ita etiam quae ducta sunt ex adulteriis, ex tutelis, ex religione. Ex diversitate ordinis in hac lege XII tabularum cautum fuit «ne connubium pa-

tribus cum plebe esset»; quod sustulit plebiscitum Canuleium. Si quod impedimentum obstet habetur concubinatum, non matrimonium, nec in radice sanari potest.

Modi autem civiles, in iure Quiritium sunt «confarreatio, coemptio, usus». Confarreatio, vetustus ritus sacer, fiebat coram decem testibus, flamine Diali vel Pontifice Maximo, sacrificato pane farreo. Coemptio facta quaedam mancipatio fuit. Usus imitatio fuit «usucaptionis annualis», de qua suo loco dicemus.

* * *

Qui ex iustis nuptiis nascuntur «filii iusti» vel legitimi sunt; qui autem ex iniustis nuptiis familiam non ingrediuntur nisi legitimazione. Atque initio «extra iustum matrimonium neque pater neque mater intelligitur»; postea «extra iustum matrimonium non pater, sed mater intelligitur»; nam «mater semper certa est; pater est quem nuptiae demonstrant». In imperio favores inducuntur tum militiae a Traiano, cum caritatis et castitatis a Iustiniano. Tum legitimatio, quae ignota est XII tabulis, amplissime est evoluta per subsequens matrimonium, per rescriptum principis, per oblationem curiae.

Adoptionis usus latissime patuit in societate romana. Hoc enim modo qui natura liberos non haberent se consolabantur ac posteritati consulebant. Tandem viam sequebantur qui naturales descendentes extra potestatem constitutos (ex. gr. filiae filios) vellent patriam redigere potestatem. Adoptio fiebat hominum alieni iuris; homines sui iuris «adrogabantur». Adrogatione quis novam familiam ingrediebatur una simul cum tota sua familia: fiebat in iure quiritorio adrogatio comitiis curiatis, lata ad rem lege; ideo non extra urbem, neque de muliere, neque de impubere: requirebatur consensus tum adrogantis, tum adrogati, tum populi.

Adoptio ex iure Quiritium fiebat tria-

mancipatione, quam excipiebat aut in iure cesso, aut remancipatio, ex ea lege: «Si pater filium ter venum duit, filius a patre liber esto»; quae sollempnia Iustinianus abolevit, suffecitque declarationem coram magistratu. Requirebatur consensus dantis et excipientis in adoptionem; atque ut adoptans capax esset patriae potestatis, quippe adoptatus ingreditur patriam potestatem (itaque adoptare non possunt neque mulieres, neque peregrini) adoptantis: desinit nempe esse in patria potestate, desinit esse inter agnatos et gentiles familiae a qua venit; cum nova patria potestate subit novos agnatos gentilesque, iisque quibus adgnascitur fit lato sensu cognatus ad effectum vetiti matrimonii; attamen resoluta adoptione resolvitur et agnatio et haec lata cognatio.

Denique alienam quodammodo familiam ingreditur homo alieni iuris mancipatione et noxae datione. Civitatem et libertatem retinet, familiam amittit suam nec plene novam ingreditur, quippe non filiorum, sed servorum loco est, licet non servus, qui in mancípio est, licet non mancipium sit. Mancipatio haec est communis rerum alienandarum modus; noxae datio, contra, poena est eosdemque parit effectus.

* * *

Egrediuntur e familia utor «diffareatione» vel «remancipatione», qua ficta mulier sibi ipsi mancipatur; filius emancipatione et adoptione. Emancipatio deducta est ex illa XII tabularum lege (IV, 2): «Si pater filium ter venum duit, filius a patre liber esto». Attamen quia persona, seu subiectum iuris, in iure romano non intelligitur nisi quis natus fuerit forma humana, ideo si quid deformis et monstrosus natum fuerit, pater potest illud cito necare (Tab. IV, 2).²

² CICERO, *De leg.* III, 8, 19: «Cito necatus tamquam ex XII tabulis insignis ad deformitatem puer».

Ad tabulam IV absolvendam, pauca de divortiis et de posthumis addemus.

Matrimonium in iure Quiritium nititur affectione maritali, quae in facto est, non in iure; ideo matrimoniale vinculum non est natura sua perpetuum et indissolubile: dissolvi potest divortiis consensualibus aut necessariis; quamquam rara fuisse divortia apud priscos Romanos nemo non novit, eaque tantum ob adulterium, vel ob mulieris ebrietatis vitium, vel quia mulier falsas sibi paravisset claves cellae vinariae. Vir mulieri dabat libellum repudii, dotem ei reddens formula illa: «Suas sibi res habeto».³

Posthumi dicuntur filii, qui in nuptiis iustis concepti, post nuptias dissolutas nascuntur. Et quia, ut diximus, mater semper nota est; pater autem quem nuptiae demonstrant, ut pater agnoscatur videndum est quod temporis intercesserit spatium inter nuptiarum dissolutionem et posthumi nativitatem. Itaque hominis gestatio ordinaria est mensium novem: diduci potest in decimum mensem incoepit; quapropter ad cautelam lex XII tabularum edixit ut qui natus esset in undecimo mense a dissolutionis nuptiis non haberetur filius posthonus, sed ignoti patris filius. Analogice receptum est ut qui natus esset ante diem 180 ante initias iustas nuptias, non haberetur iustus filius.

SYLVIA ROMANI.

DE GREGORIANO QUI DICITUR CANTU


Ut Sacrorum ritus et formae, utque omnia pariter, quibus Ecclesia gaudet et ornatur, ita sacri quoque concentus vitam eamdem vivunt quam Ecclesia vivit.

Est huiusmodi rerum Roma centrum,

³ Tab. 4, 3; CICERO, *Phil.* II, 28, 69: «Illam suas res sibi habere iussit ex XII tabulis, claves ademit, exegit».

est et umbilicus, unde simul et ritus species et cantus modi ad universum orbem documenta prodidere. Sacrorum autem concentuum Gregorius Pontifex Magnus pater est consulatus, cuius etsi gloriam delere quodammodo viri docti saeculo XVII contenderint, vindicatam eam tamen in re nostra recens aetas vidit tutissime. Neque alias profecto esse poterat, postquam haud interrupta unquam traditio saeculorum eum concordi voce tenuit horum concentuum auctorem et doctorem primum, eosque suo nomine decoravit. Neque tamen ad rem confirmandam necesse est nobis Pontificem eum fuisse asserere, qui omnes tum *Sacramentarii* tum *Antiphonarii* partes ipse ediderit. Quae nemo sanae mentis profecto adfirmavit.

Traditio unum id tantum docet, monumenta patrum, quae de re exsistebant, ipsum collegisse, selegisse, auxisse, emendasse, eiusque opera esse factum, ut sacrorum concentuum quasi codex et regula conderetur in posteras aetas aeternum. Quae satis sunt plane et ad eius gloriam tutandam, et ad traditionem defendendam, quae tantam de illo laudem protulerat. Verumtamen animadvertere est, vetustis modis ab eo collectis eamdem nobis venerationem praebendam esse, quam tanto nomini hodie tribuimus. Quinimo modos a traditione servatos, etsi Pontifex haud considerit ipse, ex eius tamen asseclis quisquam effinxit ita, ut mererentur omnino ad suam puritatem reduci. Huiusmodi instauracionis labor opportunissime iam atque sapienter aetate Pii V Summi Pontificis expletus est, quum ipse Missale Romanum ad «pristinum Sanctorum Patrum ritum et normam» revocavit pariterque Breviarium. Modo, post operam in rem a Leone XIII Pontifice exantlatam, Pius PP. X incoepit explevit opus a saeculis inchoatum. Illud itaque haud brevis Gregorii aetas omnino paravit, sed pristina saecula instituerant, ac perfectura posteriora tem-



pora erant. Tum precursores, tum haeres des Gregorii non defuerunt; neque fons concentuum, quam ille veluti constituta fovea per rivulos deduxit, eius post laborem arescere cito est visa.

Quae immo modis illiusmodi tantum conciliant honorem antiquitatis, veneranda praesertim iura sunt. Nam ex vetustissima origine eas Gregorius deduxit radices, quae immarcescibilem vitam illi paraverunt in aevum. Ita enim atque passim documenta, et mores Ecclesiae traditione vivunt et moventur, et renovantur: traditio nova est simul et vetus; renovatur saepe, semper vero in oculis omnium venerandos pios usus et mores facit.

Ante Gregorii leges profecto certos canendi modos ecclesiastici viri adhibebant, neque orandi deerant formulae, neque ad Sacra facienda ritus. Neque longe alias plane quam hodie servatur, ante Sacrum Missae litandum, ante Agni incruentam oblationem, vocis et sonitus et psalmorum oblatio erat, atque cor suum fideles una mente et spiritu Domino Deo offerebant, noctisque et diei ita varias horas et tempora coram Ipso consacrabant precibus diuturnis. Militum spatia excubantium desuma pariter fuerant ad laudes divinas partiundas, atque antiphonarium Ecclesiae primum ipsum psalterium fuit. Quare non absurdum videtur suspicio doctorum, qui putent una cum ipsis psalmis modus eorum et Synagogae concentus in Christianos mores fortasse inventos.

En itaque cantibus, quos Gregorius Pontifex coligit, quam antiquissima forte origo sit repetenda, en quanta laude cumulanda Gregorii opera appareat, qui tantum antiquitatis thesaurum nobis servavit; en denique quam libenter et grate sint suscipiendo Romanorum Pontificum inceptus, qui gloriam traditionis huius sanctissimae in suum ius servare sollerti opera contenderunt.

X.

DE M. TULLIO CICERONE ORATORUM ROMANORUM PRINCIPE¹

Ergo Arpinum, quoad stabit orbis terrarum, in claris numerabitur urbibus, quod illuc natus sit Cicero. Qui etsi admodum puer Romanum se contulit, nunquam est oblitus soli natalis, ubi postea nonnulla habuit praediola, de quibus in quadam ad Atticum epistola (VIII, 9) sic ex Formiano suo (V. Kal. Mart. anno a C. n. 49): «Ego Arpini volo esse pridie Kal., deinde circum villulas nostras errare, quas visurum me postea desperavi».

Itaque pater eius, qui puerorum suorum diligentissime volebat excoli ingenia, cum illis transiit Romam. Cum illis fuerunt consobrini et patruelis puerorum. Helvia enim, hoc nomen est matris Marci et Quinti, fratri eius, qui natus erat, ut videtur anno 102, soror fuit uxoris Aculeonis, equitis Romani. Et patruus puerorum, L. Tullius Cicero, eiusdem nominis habebat filium. Secutus est eos etiam C. Visellius Varro et T. Pomponius Atticus. Ipse Marcus dicit in defensione Archiae poëtae hunc venisse Romam C. Mario, Q. Lutatio Catulo coss. Is annus oratoris fuit quintus. Et quod in eadem oratione dicit se, quoad posset pueritiae memoriam recordari ultimam, hunc Archiam sibi principem ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem studiorum suorum exstitisse, quinque vel sex annorum puer venisse Romam videtur.

Cooperat ibi latine docere L. Plotius. Sed Arpinates nostri usi sunt doctoribus Graecis, quod ipse in quadam ad M. Titinum, teste Suetonio, scribit: «Equidem memoria teneo pueris nobis primum latine docere coepisse L. Plotium quandam: ad quem quum fieret concursus, quod studio-

¹ Cfr. fasc. sup.

sissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant graecis exercitationibus ali melius ingenia posse».

Quum factus esset annorum sexdecim, anno a. C. n. 91, togam virilem sumpsit et frequentare coepit forum, Patrono Q. Mucio Scaevola iuris consulto, cui a patre erat commendatus. De Cicerone puero sic habet Plutarchus: «Quum eas artes, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, disceret, ingenium eius ita eluxit, tantumque nominis et gloriae inter pueros habuit, ut eorum parentes, visendi Ciceronis, cognoscendaeque celebratae celeritatis in discendo gratia, ad ludum venirent. Pueri quoque honoris gratia Ciceronem medium deducebant». Idem indolem adolescentis laudat: fuisse eum plane eiusmodi naturae, qualem Plato in philosopho et homine docili requireret his verbis: philosophum dicemus sapientiae amatorem esse, non unius alicuius, sed universae.

Et quum imprimis delectaretur poësi, Marcus eodem anno Pontium Glaucum composuit, et paulo post heroicum carmen, quod Marium inscripsit, et alia carmina. Quo autem ardore illis se annis exercuerit ipse in Bruto (89) sic tradit: «Quotidie, inquit, et scribens et legens et commentans, oratoriis tamen exercitationibus contentus non eram»; faciebat, quae in I de Oratore libro (38) Crassum de se profarentem facit sic: «In cotidianis cogitationibus equidem mihi adolescentulus propnere solebam illam exercitationem maxime, ut aut versibus propositis quam maxime gravibus aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legisset, verbis aliis, quam maxime possem lectis, pronuntiarem. Postea mihi placuit, eoque sum usus adolescens, ut summorum oratorum graecas orationes explicarem: qui-

bus lectis hoc assequabar, ut, quum ea, quae legerem graece, latine redderem, non solum optimis verbis uterer, et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova nostris essent, dummodo essent idonea».

Et septimo decimo aetatis anno reddidit Arati phaenomena, de caelo et stellis Carmen, cuius extant fragmenta. Eo qui secutus est anno, a. C. n. 90, adolescens annorum 18, cum Hortensio, futuro rivali suo, in exercitu tiro fuit Cn. Pompei Strabonis, patris Pompei Magni, Marsico bello. Annis suis 19 et 20 persecutus studia philosophiae doctore Philone Larissaeo, Academicorum principe, qui bello Mithridatico profugerat Romam. Huic se Cicero dicit in Bruto (89) totum tradidisse admirabili quodam ad philosophiam studio incitatum, in quo se hoc etiam commoratum esse attentius, — etsi rerum ipsarum varietas se et magnitudo summa delectatione retineret — quod tamen sublata in perpetuum ratio iudiciorum videretur. Eodemque tempore rhetoricae operam dedit Apollonio Molone Rhodiensi magistro, operam dedit iuri civili Q. Mucio Scaevola, summo pontifice, duce, ad quem post mortem Scaevolae auguris se contulerat, audiebat Sulpicii tribuni orationes, artium popularium exempla, et erat apud Aesopum et Roscium, scaenicum actorem, a quibus discebat dictionem.

Anno vitae 21 scripsit rhetoricos commentarios de inventione libros duos. Proximo triennio, annis suis 22, 23, 24, totus est in exercitationibus dialecticis et oratoriis. Quo tempore etiam Xenophontis Oeconomicum in Latinum vertit et quodam Platonis dialogos. De hoc tempore ipse in Bruto (90): «Ego hoc tempore omni noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versabar. Eram cum stoico Diodoto, qui quum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper est domi meae mortuus, a quo cum in aliis rebus, tum

studiosissime in dialectica exercebat: quae quasi contracta et adstricta eloquentia putanda est... Huic ego doctori et eius artibus variis atque multis ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. Commentabar declamitans saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio, aut cum aliquo cotidie, idque faciebam multum etiam latine, sed graece saepius: vel quod graeca oratio plura ornamenta suppeditans consuetudinem similiter latine dicendi afferebat, vel quod a graecis summis doctoribus, nisi graece dicarem, neque corrigi possem neque doceri ». Et hanc graece declamandi consuetudinem Cicero retinuisse dicitur usque ad annum praetuae suae, vitae suae 40.

Annum agens 26 (a. U. c. 672, a. C. n. 82) primam causam privatam dixit defendens P. Quinctium. Postero anno defendit Roscium Amerinum, cuius patrocinium ob metum Sullae nemo audebat suscipere, et hortantibus amicis qui dicerent praeclarus gloriae initium habere non posse. In causa vitor magna in admiratione fuit omnium, quod ipse in Bruto (90) sic refert: « Itaque prima causa publica pro Sex. Roscio dicta tantum commendationis habuit, ut non ulla esset quae non nostro digna patrocinio videretur ». Quum etiam mulierem quandam Arretinam contra Cottam, insignem causarum patronum, defendisset, anno vitae 28 iter ingreditur.

Erat enim tum in Cicerone summa gracilitas et infirmitas corporis, procerum et tenue collum; qui habitus et quae figura non procul abesse putabatur a vitae periculo, si accedit labor et laterum magna contentio. Eoque magis, ut in Bruto (91) scribit, hoc eos quibus carus erat commovebat, quod omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis et totius corporis contentione dicebat. Itaque quum eum et amici et medici hortarentur, ut causas agere desisteret, ipse autem quodvis periculum adire quam a sperata dicendi gloria

descendere mallet, censeret tamen remissione et moderatione vocis et comutato genere dicendi se et periculum vitare posse et temperatus dicere, ut consuetudinem dicendi mutaret, eam sibi causam in Graeciam proficisciendi fuisse ait in Bruto.

Quum venisset Athenas, sex menses cum Antiocho, veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho, fuit; studiumque philosophiae nunquam intermissum a primaque adolescentia cultum et semper auctum hoc rursus summo auctore et doctore renovavit. Athenis Cicero Epicureos quoque, Phaedrum et Zenonem frequenter cum Attico, vetere condiscipulo suo, audivit. Proximo anno, Ciceronis 29, quum mortis Sullae nuntius perlatus Athenas esset, quum iam corpus eius excitationibus confirmatum meliore habitu esse coepisset, et vox ita conformata esset, ut cum auditu suavis ac plena, tum ad corporis constitutionem moderate accommodata esset, motus et precibus et litteris amicorum, quae Roma frequentes ad ipsum afferebantur, et cohortatione Antiochi ut rem publicam capesseret, dicendi vim ut instrumentum rursus excoluit civilemque facultatem excitavit.

Itaque, ut ipse narrat in Bruto (91), primum Athenis apud Demetrium Syrum, veterem et non ignobilem dicendi magistrum, studiose exercebatur. Post totam Asiam peragravit cum summis oratoribus quibuscum exercebatur ipsis lubentibus, quorum fuit princeps Menippus Stratoniensis. Operam dedit etiam Xenocli Adramytteno, et Aeschylo Cnidio, maxime Dionysio Magneti. Quibus non contentus Rhodum venit ad eundem, quem Romae audiverat, Molonem, cum actorem in veris causis scriptoremque praestantem, tum in notandis animadvertisisque virtutis et instituendo docendoque prudissimum. Is ergo dedit operam ut nimis redundantem oratorem nostrum et superfluentem iuvenili quadam dicendi impuni-

tate et licentia reprimeret, et quasi extra ripas diffluentem coerceret. De Apollonio Molone, inquit Plutarchus, traditum est memoriae eum, latinae linguae rudem, rogasse Ciceronem ut graece declamaret. Is cum ideo illi obtemperasset quod putaret se ita melius corrigi posse, ceteri omnes obstupefacti admiratione certatim de Cicerone, aliasque alio gloriosius, praedicabant. Apollonius neque orante Cicerone laetitiam prae se tulit, et, quum perorasset, defixus in cogitatione diu sedit. Quod ubi Ciceronem aegre ferre sensit, haec eius erupit vox: « Te quidem, Marce Tulli, collaudo et admiror, sed me Graecorum fortunae miseret, quum videam doctrinae et eloquentiae laudem, quae sola nobis reliqua erat, per te ad Romanos translatam esse ».

Quum Rhodi etiam Possidonium philosophum audisset, trigesimo aetatis anno (Urbis 676, a. C. n. 77) se recepit ex Graecia biennio post quam eo profectus erat, non modo exercitior, sed prope mutatus; nam et contentio nimia vocis resederat, et quasi deferuerat oratio, lateribusque vires et corporis mediocris habitus accesserat.

Magna igitur spe erectus summo studio rapiebatur ad rem publicam. Qui ardor eius quodam repressus est oraculo. Nam quum Delphos proiectus consuluisset Apollinem, quanam via ad summam gloriam pervenire posset, oraculum editum est suam naturam, non multitudinis opinionem ducem vitae sequeretur. Quapropter Romanum reversus primo timide vixit et dubitanter ad honores accessit, adeo, ut nullo in numero haberetur, sed Graeculus et otiosus appellaretur, quae nomina infimis et sordidis hominibus in promptu erant. Ut autem innata honorum ductus cupiditate et patris amicorumque cohortatione incitatus totum se patrocinis tradidit, non iam pedetemptim principem locum petiit, sed statim eluxit, ceterisque oratoribus longe praestitit.

Dicunt eum eodem anno 77 in matrimonium duxisse Terentiam, et anno 76 ex eam natam esse Tulliam. Anno a. C. n. 75, qui fuit annus aetatis eius 32, delata ei omnibus suffragiis quaestura Siciliae, honorum gradus ascendere coepit.

(*Ad proximum numerum*).

A. HABERL.

DE FARFENSI IMPERIALI COENOBIO¹

BERARDUS ABBAS

Hugonis Abbatis decessores non semper Farfensis nominis dignitatem tuiti sunt, cuius rei causa coenobii fortuna ac magnitudo defecerunt. Anno millesimo octavo et quadragesimo ante idus novembres Berardus, Hugonis discipulus et assecla, coenobii Antistes salutatus est. Eius potestas non minus quam Hugonis turbulentia fuit; sed ipse virtute ac patientia omnia domuit superavitque. In Farfensisibus rebus nota evasit eius lucta cum Sabinensi Episcopo de Sancti Michaelis possessione, nec non cum Crescentiorum gente de Tribuci et de Bocchignani castri dominio.

Amicitia tamen fretus Nicolai II Pontificis omnia ei bene cesserunt.

Nicolaus anno millesimo nono et quingentesimo, mense februario, coenobium Farfense visit ibique nonnullos dies moratus est; quibus diebus Desiderius, Montis Casini Abbas, postea vero Victor III, coenobii Farfensis hospes fuit. Nicolaus iterum anno millesimo et sexagesimo die prima post nonas sextilias coenobium petivit amplio comitatu Cardinalium, Episcoporum et Dynastarum secutus, inter quos Sanctus Petrus Damianus adfuit. Berardus enim Sanctae Mariae templum nobilitaverat pene a fundamentis, ac necesse erat illud iterum consecrare. Consecratio ab eodem Pontifice effecta est; qui sacro ritu

¹ Cfr. fasc. sup.

absoluto, excommunicationis bullam publicavit, qua solemniter graviterque omnes raptiores sacri coenobii percussit.

Quae res nova atque inusitata veluti triumphus Farfensis coenobii habita est per Summum Pontificem Romanum effecta; Diplomatibus Bullisque attente perfectis, imperiale dignitatem coenobio confirmavit et sanxit.

Anno millesimo octavo et quadragesimo, septimo kal. Ianuarias possidendi legitimam traditionem acceperat, cuius rei causa eius cohaerentia cum Henrico nunquam defecit; id vero opportunum Berardo fuit, nam perpetuis molestiis Sabinorum Dynastarum exagitatus, Germaniam aulamque Henrici petivit ut eius protectionem obtineret. Agnes, Henrici mater, omni imperiali dignitate reiecta, pie in Urbe vivebat, ardente desiderio flagrabat Farfense sanctuarium visendi; tandem anno millesimo secundo et septuagesimo postquam Berardus e Germania reverterat, humili comitatu Farfensem peregrinationem suscepit.

Ea tempestate acris lucta Imperium inter et Ecclesiam exardescerat; hinc Henricus IV, inde Gregorius VII quisque pro suo iure dimicabant: Berardus et Farfense coenobium Henrici partibus aperte favebant. Henricus saepius in suis itineribus per Italiam Berardum socium et consiliarium habuit; cuius rei causa in Pontificis iram cecidit et ab eodem graviter obiurgatus est.

Sed ea erat temporum conditio: viri sanctitate eximii fervore partium exagitati, non semper in Republica convenerunt. Berardus noster, Henrici amicus et familiaris, ab eo quoad vixit non defecit; sed quum de Antipapa Clemente III res fuit, ipse Berardus omnesque coenobii monachi communionem cum Clemente recusaverunt.

Kalendis novembribus anno millesimo nono et octogesimo, Berardus mortuus est.

Coenobii possessiones quas Berardus reliquit, magnitudine divitiisque eae erant, quae cum florenti republica comparari pos-

sent; *Sanctae Mariae res* vocabantur; praeterea Antistes qui eas administrabat *Sanctae Mariae Vicarius* appellabatur. Iuris possidendi haec erat vis, eoque iure coenobium legitime possidebat; qui ultra natum cogitandi modus omnium partium iras depellere debuerat; sed non semper bene cessit, nam ipsi coenobii administratores, seposita supernaturali possidendi origine, cupiditate mala possidendi exagitati, a recto itinere aberraverunt; saeculi enim cupiditatibus abrepti non aliter quam veluti principes temporales cogitaverunt et sese egerrunt. Ipsi Germanici Imperatores coenobii patroni legitimam possidendi traditionem Abbatibus concederunt, atque ita partium suarum studia irasque in idem coenobium transtulerunt. Maxima huius possessionis pars, emphyteutico iure tribuebatur, nec facilis semper erat emphyteuticam congruam exigere, quae res perpetua fuit irarum bellorumque causa. Dies statuta ad solvendum in Sancti Martini festo, V a. Id. Nov. cadebat.

(*Ad proximum numerum*).

A. AURELI.

LATINAE ADNOTATIUNCULAE

« Tabulae »

Quum de « Nominibus » scriberemus,¹ non semel « tabularum » mentio occurrit, de quibus, quasi in appendice, hodie dicemus. « Tabulae » itaque apud Romanos erant, in quas cautiones et syngraphae chirographaque nominum factorum, et tota ratio sive computum expensi et accepti rite atque ordine referebantur, quae ante sine ordine in « adversariis » iacuerant. « Adversaria » enim tumultuarii quaedam commentarioli erant, ne rerum memoria excideret priusquam iustae et aeternae tabulae

¹ Cfr. fasc. sup.

fierent, quae etiam codicis nomine indicabantur. Ita

Cicero (*pro Roscio Comoed.*): Non habere se hoc nomen in codice accepti et expensi relatum confitetur; sed in adversariis patere contendit. Usque eo ne te diligis, et magnifice circumspicis, ut pecuniam non ex tabulis, sed adversariis tuis petas? Suum codicem testis loco recitare arrogantiae est; suarum praescriptionum et liturarum adversaria proferre non amentia est? Quod si eamdem vim, diligentiam auctoritatemque habent adversaria quam tabulae, quid attinet codicem instituere? conscribere? ordinem conservare? memoriae tradere litterarum venustatem? Sed si quod adversariis nihil credimus, idcirco codicem scribere instituimus, quod etiam apud omnes leve et infirmum est, id apud iudicem grave et factum esse ducetur? Quid est ergo, quod negligenter scribamus adversaria? Quid est quod diligenter conficiamus tabulas? qua de causa? Quia haec sunt menstrua, illae sunt aeternae: haec delentur statim, illae servantur sancte; haec parvi temporis memoriam, illae perpetuae existimationis fidem et religionem amplectuntur; haec delecta, illae sunt in ordinem confectae: itaque adversaria in iudicium protulit nemo; codicem protulit, tabulas recitavit.

Idem (*ibid.*): Si tabulas C. Fannius accepti et expensi profert suas, in suam rem, tuo arbitratu scriptas, quominus secundum illum iudicatis, non recuso.

Idem: Tu, C. Piso, tali fide, virtute, gravitate, auctoritate ornatus, ex adversariis pecuniam petere non auderes.

Ceterum instituti fuit prisci unumquemque sibi de domestica ratione tabulas facere, in quibus appareret quid quisque de redditibus suis, quid de arte, foenore, lucro seposuisse, quove die et quid item sumptus fecisset. Accepti tabulas vocat Cicero actione II in Verrem, in quibus rationes acceptae pecuniae digerebantur.

Similis fuit apud eosdem diligentia confiendarum ephemeridum, in quibus quasi annales domestici, id est privatarum rerum suarum, scribebantur. Et ad eas adibant quum quid quaque die fecissent, meminisse opus erat.

Cicero (*pro Quintio*): Discedens in memoriam rediit Quintius, quo die Roma in Galliam profectus est: ad ephemeridem revertitur: invenitur dies profectionis kalendas februarii. Nonis, si Romae fuit, causae nihil dicimus, quin tibi vadimonium promiserit.

Domesticarum tabularum kalendarium pars erat ad nomina facienda institutum; id est ad foenus exercendum; ex eo dictum, quia usurae erant menstruae; kalendis enim usurae exigebantur.

Duae autem erant apud veteres rationum tabulae: prior accepti, et posterior expensi; eae postea, mutato dicendi genere, et tabulae dati et accepti dictae sunt; receptam etiam vulgo appellauunt et impensam. Quod accepti et expensi tabulae apud Latinos vocarentur, testatur Cicero non solum in locis quae superius retulimus, sed in aliis pluribus, ut in *Act. III in Verrem*: Nunc ad sociorum tabulas accepti et expensi revertemur.

Acceptum autem ferre est scribere se accepisse; id est in accepti paginam referre; expensum vero ferre est scribere se pecuniam dedisse; scilicet per singula expensi nomina summam quamdam expensam adscribere. De his loquendi modis ita tradit Asconius: Quaestores — inquit — urbani aerarium curabant, eiusque pecunias expensas et acceptas in tabulas publicas referre consueverant; ex quibus postea modus loquendi translatus est; ut quum quid officii in nos ab aliquo conferatur, id nos acceptum illi referre dicamus; contra, si quid ab eo adversi accidat, improbitati illius expensum ferre. Constat igitur « acceptum referre » id esse quod in rationibus, aut in tabulis videlicet accepti descri-

bebatur, solutum id esse ab aliquo, vel pro solutione admissum; et id esse « ferre expensum » quod in tabula expensi notabatur, illud aliquem debere stipulata pecunia, vel alia re contracta.

Nonnulla exempla exhibeamus:

Cicero (*pro A. Cecinna*): Hac emptione facta, pecunia solvitur a Cesennia: cuius rei putat iste rationem reddi non posse, quod ipse tabulas everterit: se autem habere argentarii tabulas dicit, in quibus sibi expensa pecunia lata sit, acceptaque relata, quasi id aliter fieri oportuerit, quum omnia ita facta essent, quemadmodum nos defendimus.

Idem (*in Verrem*): Propter quod minus Dolabella Verri acceptum retulit, quam Verres illi expensum tulit.

Idem (in eumdem): Foeneratio erat eiusmodi, iudices, ut etiam hic quaestus huic cederet; nam quas pecunias ferebat iis expensas quibuscum contrahebat, aut scribae istius, aut Tymarchiadi, aut etiam ipsi isti referebat acceptas.

Idem (in eumdem): Quum tot tibi nominibus acceptum Curtii referrem, quid proderat tibi expensum illis non tulisse?

Denique metaphorice:

Cicero (*Philipp. II*): Omnia denique quae vidimus (quid autem mali non vidi-
mus?) si recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. — Id est, horum omnium malorum in causa fuisse solum Antonium existimabimus; vel, Antonio impunitabimus, et ideo parem vicem ei reddendam arbitrabimur.

Idem (*ad Att.*): Te etiam atque etiam rogo, ut me totum tuendum suscias, ut si salvi erunt, quibus curae fui, una cum his possim incolumis esse, salutemque meam benevolentiae tuae acceptam referre.

Idem (*pro Cluentio*): Voluit eum aliquid acceptum referre liberalitati suea.

Idem (*Jam. X*): Quod vivit Antonius ho-
die, quod Lepidus una est, quod exercitus
habent non contemnendos, quod sperant,

quod audent, id omne Caesari acceptum referre possunt.

Titus Livius: Nec senatui, sed familiae Liciniae acceptum referebant.

FORFEX.

COLLOQUIA LATINA

Reditus ex itinere¹

ARNOLDUS - CORNELIUS

ARNOLDUS - Salve multum, Corneli, iam toto saeculo desiderate.

CORNELIUS - Salve et tu, sodalis exoptatissime.

ARN. - Iam desperabamus reditum tuum.
Ubi tamdiu peregrinatus es?

CORN. - Apud inferos.
ARN. - Non admodum veri dissimile di-
cis; adeo nobis redisti squalidus, macilens
ac pallidus.

CORN. - Imo ab Oriente adsum tibi, non
a profundis Manibus.

ARN. - Quis deus aut quis ventus te
illuc adegit?

CORN. - Quae res adigit alios non pau-
cos.

ARN. - Stultitia, ni fallor.
CORN. - Igitur hoc convicia non in me
solum competit.

ARN. - Quid illic venabare?
CORN. - Ut miser essem.

ARN. - Isthuc licebat domi. Estne illic,
quod tu putas spectatu dignum?

CORN. - Ut ingenue fatear tibi, pro-
modum nihil. Ostenduntur quaedam monu-
menta vetustatis, quorum mihi nihil non
videbatur commenticum et excogitatum ad
alliciendos simplices et credulos.

ARN. - Quid igitur vidisti?
CORN. - Magnam ubique barbariem.

ARN. - Nihilo melior redis?

¹ Ex ERASMO recognovit, deprompsit hodiernaeque
vitae libere aptavit. I. F.

CORN. - Imo multis partibus deterior.

ARN. - Nummatior saltem.

CORN. - Imo nudior liberide.²

ARN. - An non poenitet igitur tam lon-
ginquae peregrinationis frustra susceptae?

CORN. - Nec pudet, quia tam multos
habeo stultitiae meae sodales; nec poenitet,
quia frustra iam sit poenitere.

ARN. - Nihil ergo fructus refers e tam
difficili peregrinatione?

CORN. - Multum.

ARN. - Quid tandem?

CORN. - Quia posthac vivam suavius.

ARN. - An quia iucundum est meminisse
laborum actorum?

CORN. - Est isthuc quidem nonnihil, sed
non in hoc sunt omnia.

ARN. - Estne aliud praemium?

CORN. - Est sane.

ARN. - Quod? effare.

CORN. - Magna voluptate, quoties libe-
bit, et ipse me afficiam, et alios mentiendo,
quoties itinerarium meum recitabo in con-
ciliabilis aut in conviviis.

ARN. - Profecto non tu procul aberras
a scopo.

CORN. - Deinde non minus capiam vol-
uptatis, quum alios audiam mentientes de
rebus, quas nec audierunt unquam, nec
viderunt. Idque faciunt tanta confidentia,
ut quum narrent aliis vaniora, tamen sibi
etiam persuadeant se vera loqui.

ARN. - Mira voluptas! Non omnino tibi
periit oleum et opera, quod aiunt. Sed illi-
beralis est voluptas, ex mendaciis volupta-
tem capere.

CORN. - Verum hoc aliquando liberalius,
quam obrectatione vel delectare, vel de-
lectari, aut alea tempus et rem perdere.

ARN. - Cogor euidem pedibus in tuam
ire sententiam.

CORN. - Verum est et alias fructus.

ARN. - Quis?

CORN. - Si quis erit amicus egregie ca-

² Proverbum est in vehementer tenues. Nam *liberis*
significat serpantis exuvium, quo nihil potest esse inanum.

rus, affinis huic insaniae, eum admonebo,
domi maneat; ut nautae solent, electi nau-
fragio, monere navigaturos, quid periculi
sit vitandum...

Selecta ex bibliothecis et archivis

MEDICAE NOTAE

De Litteratorum morbis¹

Litterati homines, qui, ut ait Ficinus,
« quantum mente et cerebro negotiosi sunt,
tantum corpore sunt odiosi », omnes fere
vitae sedentariae incomoda, demptis Me-
dicis Clynicis, subeunt. Nihil notius quam
hominem sedendo sapientem fieri; tota
ergo die ac nocte sedentes, inter litterarum
oblectamenta, corporis damna non sentiunt,
donec non intellectae morborum causae,
sensim obrepentes eos lectis affixerint.

Vitae quoque statariae incomoda non
raro experiuntur Litterarum Professores;
multos enim ex iis passim visere est, qui,
ut sedentariae vitae, quae tam male audit,
evitent damna, in contraria ruunt, dum ad
multas horas, ac totos fere dies, stant
erecti libros evolvendo; quod non minus,
imo forsitan magis noxiun, quam si ad opus
suum sedendo incumberent.

In universum porro Litterati omnes sto-

¹ Ex dissertatione quam de hoc arguento scripsit BERNARDINUS RAMAZZINI. Doctor hic medicus non solum doctrina sua fuit celebratissimus, sed quia tamquam scientiae de sociali medicina conditor evasit. Ille enim primus peropus suum *De morbis artificum* necessitatem affirmavit civiles leges comparandi in artificum tutelam, easque ad medicam artem compositas, ut artifices sani et incolumes a morbis servarentur, quibus in sua quisque arte occurtere possent. Ortum duxit in oppido Carpi, Mutinensis regionis, anno 1633; studiis ordinis secundi expletis apud sodales Societatis Iesu, philosophiae primum ac deinde medicinae laurea coronatus est. Anno 1682 Mutinensis athenaei (tunc Lycei S. Caroli) doctor est renuntiatus. Ob infirmam valetudinem praecognitione valedicere coactus, totus in studia se contulit, quae nomen eius inter sui temporis doctos viros longe lateque vulgarunt. Senectute adveniente, quamquam caecus factus, publici magisterii munus adclamantibus omnibus resumpsit, donec apoplexiae ictu diem obiit supremum anno 1714. Nepos ex fratre fusam eius vitam scripsit operaque collegit ediditque.

machi imbecillitate laborare solent. Nullus enim fere est qui serio litterarum studio det operam, ac de stomachi languore non conqueratur; dum enim cerebrum concowitz ea, quae sciendi libido et litterarum orexis ingerit, nonnisi male potest conquerere ventriculus ea, quae fuerint ingesta alimenta, distractis nempe spiritibus animalibus, et circa intellectuale opus occupatis, vel iisdem spiritibus non adeo pleno influxu, uti opus esset, ad stomachum delatis, propter fibrarum nervearum, ac totius nervosi systematis in altioribus studiis validam contentionem. Quantum enim ad viscerum omnium naturales functiones rite obeundas conferat, si non succi nervei, de quo adhuc non satis constat, saltem spirituum animalium influxus ex partium paralysi laborantium contabescientia, satis liquet; quamvis enim ob perennem arteriosi sanguinis affluxum vitali succo fruantur, attamen humore illo, seu quidquid sit illud, quod per nervos ad ea defertur, orbatae, gracilescunt.

Hinc ergo cruditates, flatum ingens copia, corporis totius pallor et macies, partibus geniali succo defraudatis, summatim omnia damna, quae cacoelyiam consequuntur, ortum ducunt. Sic Studiosi paulatim, licet Ioviali temperamento praediti, Saturnini ac melancholici flunt: sic dici solet melancholicos esse ingeniosos; at forte aptius, ingeniosos fieri melancholicos, spirituosa nempe sanguinis parte circa mentis opera absumpta, magis vero foecula ac terrestri intus relicta.

Non ibo tamen inficias, quin ad id multum conferat corporis temperies, ad melancholiā paulisper vergens cum moderate ceterorum humorum mixtura... Melancholicis ergo passionibus obnoxii sunt, ut plurimum, Litterarum Professores, eoque magis si a primordiis tale temperamentum sortiti fuerint: sic habitu graciles, luridi, plumbei, morosi ac solitariae vitae cupidi observantur qui litterati sunt,

Oculorum imbecillitati praeterea obnoxii paullatim redduntur; legentes siquidem et scribentes intento obtutu non possunt quin visionis laesionem persentiant, quod maius fovent dum literas minutias scribunt. ... Indubium quidem est quod qui minutius scribere consuescant sibi curtiorem visum reddant, et myopiam sibi paullatim adsciscant; sic enim oculus assuescit ad proxima solum videnda, ac retina ex tali assuptione in situ a pupilla magis remoto obfirmatur atque obdurescit, adeo ut mobilitas illa, quam oculis impertita est natura, aboleatur.

(Ad proximum numerum).

B. RAMAZZINI.

Veteris monumenta Romae

DE THERMIS DIOCLETIANAEIS

Ad hodiernam Romanam ferriviae stationem, integrum plateam, cui nunc «*Thermini*» nomen (ita vocem *Thermae* vulgus corrupit), rudera quae coram adhuc reliqua sunt, insuper exedram hodierna porticu superimpositis aedibus circumscriptam, et quantum spatii est ab aditu turriformi antiquorum horreorum, postea poenalis carceris, denique, nempe modo, scholarum, ad Sancti Bernardi templum, Diocletiano et Galero Augustis iubentibus thermae occupabant, quae anno supra trecentesimum secundo coepitae sunt aedificari; anno reparatae salutis autem CCCV-VI, aedificiis pro tanti operis magnitudine omnium cultu perfectis, iuxta marmoream inscriptionem ibi repartam,¹ a Diocletiano, Maximiano, Augustis, a Constantio, Maximino, Severo, Caesar. nobilissim. consecratae sunt, et «*felices thermae*» appellatae, Romanisque et Diocletianaeo Numini

¹ Cfr. Mazzocchi, *Epigr.*, 14.

dedicatae. Haec apud Nibby.² Malpica autem nobis auctor est a Constantio et Galero primum publico usui summis omnibus festisque traditas.

Quidquid hac de re sit, unum superest egregium eas Diocletiani nutu fuisse eretas, «*felices*» fuisse nuncupatas; insuper et «*Diocletianas et Maximianas*», modo simul una, modo ad libitum nominantium, praestitisse amplitudine Antonini, Nero-nianis, ceteris denique; tales fuisse, quae locum dare possent tribus millibus ac trecentis civibus balnea simul adeuntibus; novem et sexaginta pedes patuisse in fronte, totidem in agro, quatuor peduni millia ducentos et septuaginta et sex pedes in circuitu; magnificentia super omnes huiusmodi excelluisse; suprema floruisse laude in omnibus, quae luxum, sumptum, voluptatum omne caperent genus, tum quae ad relaxandam animam, tum quae ad corpus delectandum esse possent.

Tribus quodammodo zonis constabant. Exterior continebat gymnasium, bibliothecam, quippe Ulpia Traiani translata huc fuit, palaestras, theatrum, auditoria; interior exedras, equirias, seu ad obequitationem campos ludosque equestres, et similia, athletarumque arenam, gymnivorumque ludorum; intima natatoria, balnea, recessus. Quae meridiem spectabat frons, erat eodem tempore vestibulum ac theatrum scenicis constitutum fabulis recitandis, aedesque habebat litteris destinatas, poetisque recitaturis carmina quotidiana auditoribus. Hinc et inde rotunda aedificia assurgebant, tepidaria usu appellata. Interior huic fronti pars calidariis assignabatur; quae ad Boreanum frigidaria; tum aulas, tum ingentes porticus recto procedentes ordine, et curvo, prout elegantiae et pulchritudinis praeceperant.

(Ad proximum numerum).

G. P.

² NIBBY, *Roma antica*, vol. II.

LIBRORUM RECENSIO

FERDINANDUS DE PAOLA, *Philosophia tarsensis in Senecae scriptis* (Edidit Leo. S. Olschki, Florentiae a. 1940).

Permuli omnium aetatum latinarum litterarum cultores Senecae cum dicendi genus, tum maxime doctrinam admirati sunt quasi novum aliquid et singulare non apud Romanos solum, sed etiam apud omnes antiquos.

Et novitatem quidem prae se tulit auctor ille, qui, magno et perspicaci ingenio praeditus, non solum litteras renovare, sed etiam mores instaurare et meliores efficere conatus est, doctrina illa de moribus, qua praecipuus evasit, quale Dantes noster eum *moralem* appellavit.

Quid autem haec novitas sit, quibus rebus vel elementis constet, unde originem trahat, mihi videtur luculente aperuisse Ferdinandus De Paola opere latine conscripto, de quo quae-dam breviter attingam.

Praecipua ex sex partibus, in quas noster materiam digessit, mihi prima videtur esse, quae de Senecae doctrinae incunabulis inscribitur, in qua de Essenorum doctrina deque Vetere Testamento disserit, praecipuos auctores secutus, ut Iosephum Flavium, Philonem Alexandrinum, Plinium seniorem doctissimosque plurimos cuiuscumque aetatis et nationis.

Ad intellegendam autem hanc Essenorum doctrinam multum valent Sententiae Sexti, quas De Paola diligenter perscrutatus, certum esse affirmat, «*Essenorum auspiciis atque impulsione factum esse ut non solum Pythagorae doctrina e coetibus mysteria celebrantium exiret et popularis motus fieret, cum acciperet quod Stoicorum consentaneum esset, sed etiam ut prisca Stoicorum schola se ad Sacras Scripturas verteret et nonnulla... renovaret, praesertim quae Deum et animorum naturam ac sortem nec non hominis officia spectaret*». Nec Sextus solum, qui Senecae temporibus fuit et multis Stoicis visus est cum ipse negaret, sed etiam Posidonius, inter alios multos, hanc commixtionem vel syncrasin, ut vocabulo graeco nonnulli appellant, Pythagoreae, Platonicae, Aristoteleae et Stoicae doctrinae cum Vetere Testamento concinnatae prius exaravit, cuius disserendi de moribus via ratioque cum multis sua aetatis Romae

institutio manat, ad quod omnium studium et actio vergi debeant. Hoc autem studium, haec actio hisce capitibus innitenda sit, nempe :

a) vivum calorem in ludimistros excitare pro diligentia «methodologiae didacticae» cognitione;

b) inquisitiones instituere de docendi arte atque via ad easque peragendas ducere;

c) pervestigationum causas latinitatis studio deditis offerre, iisque opportuna auxilia ad rem suppeditare;

d) novas docendi rationes monere, iisque favore per scholas earum usum perclitantes;

e) athenaeorum discipulis, qui insti-
tuendis docendisque adolescentibus se dedi-
turi sint, campum adiumentaque submini-
strare, quibus in primo rei usu atque exer-
citatione sese experiantur;

f) denique in aliarum quaestionum stu-
dium intendere ad docendi artem spectan-
tium; puta in variis scholis indices et ratio-
nes latinae institutionis describere, aptam
supellectilem indicare, libros in discipu-
lorum usum redigere, vitae atque indu-
striae scholasticae documenta colligere
eaque publice proponere, bibliothecas de
praeceptorum scientia ac doctrina compa-
rare, etc.

Disputationum series per dies tres pro-
ducta est, cuiusque scholarum ordinis mag-
istris consilia sua communicantibus; con-
clusit diserta oratione excelsus Bottai ad-
minister, limites et actionis campum «Centri»
de quo agebatur definiens: athenaeorum
proprium esse mandatum affirmavit ad artis
usum percipiendum comparandi; centri
autem nexus, comparisonis, collationis
rationum, experiendo in scholis usurpatarum:
athenaea igitur et huiusmodi centrum
propriis diversisque utriusque rationibus
vim suam explicare. Nos — addidit —
necessitatem edicimus libertatem confe-
rendi magistro proprium instituendi genus;

sed propter hoc ipsum, quia nempe plura
in re capita esse ponimus, necesse est col-
lationis et compositionis centrum ipsis
constituere. Huiusmodi centrum non qui-
dem publicam unam Italicam docendi disci-
plinam unquam iubebit, verum artis doc-
endi libertatem custodiet, excitabit; mu-
nus ei proprium et singulare erit fecundas,
optimas, specieque sua insignissimas ratio-
nes illas efficere, quae libere a singulis
magistris docendo inductae sint. Hisce
fundamentis hodie constitutum declaravit
patrium Centrum de rationibus atque via
latini sermonis docendi, Romae, apud Re-
gium Institutum ad studia Romana prove-
henda.

Quod bonum faustumque sit!

Funera

Chrysostomus, Primus Abbas S. Martini
de S. Monte Pannoniae, Praeses Congre-
gationis Hungaricae Ordinis S. Benedicti,
funebrem nuncium nobis attulit, die XXVIII
mens. Februarii currentis anni MCMXLII
post diurnam infirmitatem placide in Do-
minum obdormisse R. P. D. Valentimum
Fehér, eiusdem Congregationis Monachum
et Presbyterum, aetatis sue anno quin-
quagesimo.

Munere magistri in gymnasiis Benedic-
tini Ordinis Taurini (Gyor), Scarabantiae
(Sopron), Strigonii (Esztergom), Günsii
(Kószeg), nunc autem Papae functus, opti-
me de discipulis educandis docendisque
meruit. Eius linguae latinae peritiam satis
ostendit tragœdia, quam Regulus inscrip-
tam in nostris paginis edidimus.

Amico desideratissimo requiem sempi-
ternam ex animo invocamus.

A. R.

IMPRIMATUR:

† Fr. A. C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.





VARIA

Quam necessum sit, ad conservandam Reipublicae libertatem, ut libere possis indignos cives accusare.¹

Iis, qui custodienda Reipublicae libertati praeficiuntur nihil aequae curae esse debet, quam ut potestatem habeant cives, qui aliquid deliquerint, libere accusandi coram populo, magistratu, aut alia aliqua concione. Id enim Reipublicae duabus de causis plurimum prodest. Nam primum, non facile quis tentabit, metu ne accusetur, et si tentaverit quippam, poterit sine magno motu facile reprimi. Deinde, eadem hac ratione instituitur modus extingendi odia et suspicione, quae in urbe sensim contra cives quosdam accenduntur, quorum restinguendorum si non exstet ratio aliqua legitima, ad media quaedam absurdula confugiunt homines, ex quibus per saepe Rerumpublicarum ruina consequitur. Quamobrem existimare oportet, multum interesse ad conservandam Rempublicam, ut ratio quaedam legibus constituatur, qua odia illa restingui ac satiari queant. Id permultis exemplis demonstrare possum, et praesertim Coriolani, de quo scribit Livius. Quum patricis aliquando non admodum bene cum plebe conveniret, quoniam ex Tribunorum creatione videbatur nimium aucta esse eius potentia, magnam annonae caritatem Romae ortam esse, Senatum itaque frumentum e Sicilia advehi Roman curasse. Sed Coriolanus occasionem adesse ratus populi nimiam licentiam castigandi, suasit patribus, ne frumentum ei distribuerent. Quod quum populus intellexisset, magnopere indignatus, Coriolanum senatu egredientem per seditionem oppressisset, nisi ei Tribuni plebis subito ad dicendam causam diem dixissent. Quo casu manifeste apparuit, quantum intersit Reipubli-

¹ EX NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine versit E. BINDI.*

cae ut ratio exstet, qua populi iracundia adversus aliquem concepta, secundum leges extinguatur; quae si non exstet, confugitur ad inordinata quaedam media, quorum eventus multo peiores sunt.

locosa

Postquam Magister diu de humani corporis musculis disseruit, Tuccium interroget:

— Quales musculi in te operati fuerint, si condiscipulus aliquis colaphos tibi impegerit?

— Cruris equidem, ut eum calcibus viissim petam.

MAGISTER: Attende, Tucci. Quum effatum enuntio: «Herus asinum forte tundit», quod est verberum obiectum?

TUCCIO: Tergum, aedepol!

MAGISTER: Nomina mihi liquidum non congelascens.

TUCCIO: Aquam ebullientem.

Aenigmata

I

Palliolum teneris defendo frigora membris.

a) Consona mutatur? { Fax iter irradio.
b) Vocalem muta!

II

Vox eadem maneo: ponto nunc ambior, at nunc parva cubicla tibi, plebs, habitanda loco.

III

Sum culmen. Vis vi primam mihi demere frontem?

Nil moror. Immo fac! Sic quoque culmen ero.

IV

Sum neutrum? Properare licet mihi funera. Fio feminei generis? Sum tibi, textor, opus.

Aenigmata in superiore fasciculo proposta his respondent: 1) Anus, Annus; 2) Dumas, Fumus; 3) Ruina, Pruina.

Ann. XXIX

Romae, mens. Maio-Junio MCMXLII

Fasc. V-VI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXLII est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad IOSEPHUM FORNARI doct. Romam, Via di S. Maria dell'Anima, 39 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

AD SUMMUM PONTIFICEM

PIUM XII

QUINTUM A SUSCEPTO EPISCOPATU LUSTRUM

EXPLENTEM

*Ut vernal radiis terra meantibus
nubes per laceras, obruta turbine;
squalens ridet ager, rursus et enitet
flos curvatus ab imbris;*

*et sicut rapido gurgite, spiritum
deiectum subito naufragus erigit,
innantem tabulam cum videt aequore,
supremum auxilium sibi:*

*sic plebs Christiadum, Maxime Pontifex,
tantis pressa malis paeneque perdita,
ad Te suspiciens concipit insolens
fracto pectore gaudium,*

*solemnemque diem grata recognitat,
cincto cum bifida Praesulis infula,
dium consilium credidit ardua
pastoris Tibi munia.*

*Nunc gestit seriem volvere casuum,
per quos Te cathedral scandere providus
Petri praestituit Christus, et extulit
bellum dum furit horridum:*

*nutantis columen scilicet ordinis,
praeconem populis juris et impigrum,
lucentem tenebris lampada, luctuum
et solamen atrocium.*

*Exspes, effugium Te, Pater, unicum
gens humana vocat; Te fera pectora
praesentem procerum flectere, iurgia
et componere stirpium.*

*Vindex iustitiae, tu dominantium
vim saevam cohibus, fortis et asseris
qui pacis valeant denique perpetis
gentes icere foedera.*

*Te blandum populis ferre levamina,
belli quos cruciat triste piaculum,
late concelebrant undique nuntia
vastum vecta per aethera.*

*Tu matrum gemitus sedulus excipis,
insolabili pignora flentium;
optatoque domum coniugis anxiae,
crebro, lumine recreas.*

*Quae vox litoribus consonat extimis
ad Te, grata, Pater? Millia militum,
conflictus acie quos creper exitus
captivos procul abstulit,
experti exsilium mitius, evehunt
cordis magnanimi sollicitudinem
in natos, patriis quos miserabilis
nunc sors arcte amoribus.*

*Petri Clavigeri Te, Pie, praeside,
grandescit solium; didita latius
Sedis Romuleae gloria tollitur,
matris gentibus omnibus,
aequae discidium solvere lugubre.
Extrema Iaponum fortis ab Aside
gens ora, obsequii gaudet amicus
tecum stringere vincula,
non oblita fidem quam prior intulit
ipsis intrepido corde Xaverius,
et fusis toties agmina Martyrum
sacravere cruentibus.*

JOSEPHUS BENEDICTUS COTTOLENGO

CENTESIMO EXEUNTE ANNO AB EIUS OBITU

Die XXX mens. Aprilis nuper elapsi circumactum est saeculum ex quo ad Superos evolavit Iosephus Benedictus Cottolengo, vir ille unicus, qui opibus omnibus destitutus, sed Christi tantum caritate urgente, in omnis generis miserorum levamen hospitium aperuit, quod sensim tam latissime patuit, ut civitatem dixeris, quippe duodecim prope hospitum millia intra sua moenia Augustae Taurinorum nunc receptet, iisque vestes, alimenta, curaciones non corporis tantum, sed animi supeditet.

Iuvat igitur, praesertim in tanto, quod videmus, suarum rerum saeviente studio,

*Heu, belli rabies gliscit atrocius
aerumnasque, famem, funera et aggerat;
tantis exitiis vinctus at emicas
tu solus, moderamine
iusto sollicitus ducere dividos
ad Christum populos. Decidet irritum
votum quippe ferox imperitantium,
in Christum arma ferentium.*

*Verbo aptata Dei saecula novimus;
mundanasque vices digerit arbitra
lex, quae communuit regna vel erigit,
unus Christus ut imperet;*

*orbique exhibuit te, crepitantibus
armis, paciferum munere, nomine
et iugi studio, quod fovet, acriter
fervens pectore charitas.*

*Det Jesus utinam saeva quiescere
per Te, bella, Pater, cogat et undique
gentes quas odium scindit, ut unicus
Pastor sit gregis unici!*

V. GENOVESI, S. I.

eius memoriam revocare, eiusque mirifica
gesta vel leviter attingere.

In oppido Pedemontanae regionis vulgo Bra nuncupato Iosephus Benedictus anno 1786 natus est ex Iosepho Antonio Cottolengo et Benedicta Clarotti, coniugibus tum optime moratis, tum pietate in Deum et liberalitate erga pauperes conspicuis; qui igitur a teneris unguiculis ita eius animum informarunt, ut cum pietatis flosculis in eo caritatis germina pari viguerint ubertate. Itaque a prima aetatula datum erat Iosephum videre acceptos nummos aut frusta esculenta egenis donare; quum autem coepit litterarum celebrare ludum, si qui inter viam mendici occurserint, si qui condiscipuli pane caruissent, cum iis et panem et obsonium, sibi ad ientandum a parentibus datum, sua sponte partebatur. Non-

dum a pueris egressus, olim, quum domi esset, tacitus atque in cogitatione defixus cubiculum quodam baculo ultiro citroque dimetiebatur. Tam nova in re deprehensus, quaerenti matri cur ita ageret, respondit nosse se velle quot lectulos eiusmodi cubiculum in indigentium infirmorum usum continere posset: propositum sibi esse, quum in aetatem venisset, nosocomium in ea domo instituere. Qua profecto re portendere satis perspicere visus est, quid esset aliquando, instinctu afflatuque divino, facturus.

Postquam in patria Braida alacrem litterarum studiis dedit operam, septendecim iam annos natus, clericorum habitum rite induit, ut ecclesiasticae vitae initiaretur, ad quam vocari se senserat; et sacram theologiam addiscere aggressus est, duce a magistro sacerdote quodam, qui, in Taurinensi studiorum Universitate disciplinis sacris tradendis doctor, idcirco Braidae se receperat, quod res civiles et ecclesiasticas incursio Gallicarum copiarum in regionem Cisalpinam paene totas everterat. Composito autem aliquantum publico ordine, Astam se contulit Noster inter Seminariorum illius alumnos cooptandus, ibique sacerdotio est auctus.

Quum deinde domi forisque aliquandiu ministerium sacrum sedulo studioseque exercuisset, curionis sui consilio Augustam Taurinorum petit, ut, quae theologiae studia privatum ac minus plene pro rerum temporumque condicione confecisset, ea in Archigymnasio compleret perficeretque; et ita perfecit, ut, facto publice periculo, doctor in theologicis disciplinis fuerit ingenti cum plausu renuntiatus.

Braida reversus, ad procurationem animarum curionem per diligenter adiuvit, et, contagione quadam grassante, quae plurimos ex omni aetate et ordine cives utriusque sexus interemit, in vitae discri-
men se ultiro libenterque intulit, ut nemini deesset. Interea Congregatio presbytero-

rum Ecclesiae S. Corporis Christi, qui cognominem regunt Augustae Taurinorum paroeciam, itemque canonici sunt Conlegiatae Ssmae Trinitatis in aede metropolitana Taurinensi, Iosephi flagrans animarum studium quum cognovissent, inter suos cooptaverunt. Venit igitur Noster in Pedemontanam urbem caput; at quamvis commissis sibi muneribus laudabiliter perfungeretur et iucundo hilarique esset ingenio, maestam tamen degebat vitam, quippe animo sentiret, se ad peculiare iter ingrediendum caelitus vocari. Quorsum vero? A Deo vehementer gratiam implorabat, ut viam ipsi manifesto aperiret. Annus erat 1827; die secunda mensis Septembris accidit, ut mulier quaedam cum viro tribusque filiis Lugdunum Mediolano contendens quum in gravem morbum incidisset, Augustae Taurinorum consideret; quae, quum reiecta esset tum a nosocomiis urbis, quia ventrem gereret, tum ab aedibus praegnantis excipiendis quia aegrotaret, in foedissimum cubiculum deducta tandem est, quod intra fines paroeciae Corporis Christi erat, ubi, ut quae iam iam animam ageret, sacerdotem aliquem acciri ad se postulat. Noster eo advolat, morientem sacramentis refectam sanctissimis consolatur verbis; at, pio fungentem officio maximo dolore afficiunt cum puerorum lacrime et ploratus, tum viri maeror, inhumanitatem Piorum Operum Taurinensium conquerentis... Misella vix vita functa, Iosephus summo percutitus dolore anxius et anhelus in sacram suam aedem revertitur a Beata Deipara lumen impetraturus utrum sibi ex voluntate Dei munus reservatum esset tam lugendis casibus occurrendi: licet intempesta hora aes campanum pulsari iubet, cum populo qui ad insuetam vocationem accurrerat Lauretanis litanias ante altare Virginis sub Gratiarum titulo, oculis continenter in sacram imaginem intentis, cantat, deinde in sacrarium se recipit laeto hilarique vultu exsiliens, et clamans: «Facta est gratia;

iam impetrata est gratia: benedicta iterumque benedicta sit Sancta Domina nostra!» Cuiusmodi ea gratia esset, licet Iosephus perpetuo occuluit, ipse tamen rerum evenitus declaravit. Namque paulo post, prope eamdem Corporis Christi aedem, in loco *la Volta Rossa* vulgo nuncupato, parvam domum conduxit, inque eam, nonnullis lectis instructam, derelictos infirmos exceptit, medico, aromatario, nonnullisque piis mulieribus libenter eum adiuvantibus. Infirmis autem gratuito receptandis, alendis, curandis nulli alii provisi redditus, nisi quem in singulos dies Pater caelestis praebuisset, panis quotidianus, nunquam pro eius ineffabili providentia defecturus.

Non equidem credendum est Nostrum, ab initio praesertim, adversa non fuisse passum; quin imo, grassante per Italiam indica iue, cives, qui domos hospitio viciniores incolebant, contagionis metu perculsi apud rei publicae rectores usque adeo querelis precibusque institerunt, donec de claudendo hospitio decretum est. Neque tamen ea calamitate Iosephi animus concidit: immo potius id providentia Dei contigisse putavit, quasi ipsem inopinato casu admoneretur: hospitium, seu «Depositum» quod vocabat, nimis eo loco domibus civium circumscriptum ac veluti oppressum, in eam nunquam potuisse pervenire amplitudinem, quam necessitas postulasset. Itaque quum contagio desisset, et auxilium Beatae Mariae Virginis, nunc «a Consolatione», invocasset in sacrario hoc titulo Augustae Taurinorum Ei dicato, in deserta regione, vulgo dicta «Valdocco», ab ipso sacrario haud procul, domus aliquot vel conductas, vel emptas, vel a solo excitatas ad id, quod propositum habebat aptavit; quae quidem ita in dies creverunt, ut in unum paene oppidum coaluisse dixeris. Cernere enim ibi est vias, subterraneas quoque, plateas, hortos, molas, pistrinum, officinas lignarias, ferrarias, sutorias, vestiarias; praeterea scholas, sacella,

commune omnibus templum magnitudine et ornatu praestantissimum; passim vero domos singulas, cuique miserorum generi destinatas. Infirmis enim ab initio inductis accessere, et iuvenes et senes, utriusque sexus paralytici, muti, comitiali morbo laborantes, monstra, corporis vel animi vitio quoque modo obnoxii: pueri denique et puellae parentibus orbati. Hi omnes in distinctas «familias» distributi sunt, quibus totidem religiosae tum mulierum tum virorum familiae respondent, quae iis praesunt; suntque etiam quae variis officiis, ut culinae, fulloniae, cultui, religiosae aut civilis institutioni singularem dedunt operam, et etiam poenitentem quae vitam agunt.

Huic veluti civitati a Nostro impositum nomen est: «Parva Domus a Divina Providentia», fuitque ea per saeculum et est vere Dei Providentis miraculum, quippe Conditor ipsam unice Ei concredens voluit nulla quaesita stipe eam vivere, omnique stabili, si quid offerretur, patrimonio repudiato. Hoc autem veluti peculiare a Deo acceptum munus, tamquam hereditatem in aevum amplificandam et perennandam, successoribus transmisit, rursus ab his illibatam transmittendam. Re quidem vera centum iam annis a Iosephi Benedicti morte iisdem normis res modo regitur, quibus ab ipso regebatur, et in dies viget et floret; perenne quidem miraculum humanae superbiae impervium, sed divinae promissionis implementum, dicente Christo: «Respicite volatilia caeli... Pater vester pascit illa... Considerate lilia agri... nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est sicut unum ex istis... Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis». ¹ Iosephus Benedictus Cottolengo, quum gloriam Dei et iustitiam Eius unice quaesivisset, ita se totum in Eius manibus posuit, ut in se suoque opere mirabiliter impleri divina promissa meruerit.

X.

¹ MATTH., VI, 26-33.

DE FARFensi IMPERIALI COENOBIO¹

GREGORIUS A CATINO
FARFENSIS COENOBII HISTORICUS

E Podio Catino in Sabinis honesto genere natus, patrem Donum habuit, qui filium cum altero fratre Donadeo Farfensi coenobio concessit, ut ambo litteris ac disciplinis excoletentur. Brevi, Gregorius parentum ipsiusque fratris morte afflictus, totus ad pietatem studiumque se dedit.

Rectorem atque magistrum Berardum Antistitem habuit, qui anno millesimo secundo et sexagesimo coenobium moderabatur. Tanto discendi studio flagravit, ut scriptum reliquerit: «Sapiencia fuit mihi lac quo Dei Mater ab unguiculis me enutritivit».

Monachus hic vitam humilem atque absconditam transegit; de eo notitia ultra annum millesimum centesimum tertium et trigesimum nulla exstitit; eo anno, cum Pontifice Innocentio II, cum Lothario rege, cum Divo Bernardo a Claravalle, cum Norberto Magdeburgensi, cum Adinulfo I Abate, ipse pene oculis captus, adfuit; agebatur enim de Ecclesiae pace ab Antipapa Anacleto II turbata.

Fide historica scriptor eximus, de literaria repubblica bene meritus est. Memoriae digna sunt: 1. *Regestum farfense* ab anno 1092 ad 1099 scriptum, quo canones, Pontifices, Abbates coenobii, eiusque historia memoria recensentur. Regesti codex in Vaticana Bibliotheca asservatur, numero 8487 addito, a clarissimis Ignatio Giorgi et Hugone Balzani editus, Patriae historiae Romana sodalitate curante. - 2. *Chronica Farfensis*, ubi tota coenobii historia ad annum 1125 recensetur. In Victorii Emanuelis bibliotheca (addito numero 1 Fundi Farfensis) asservatur. Ab Hugone Balzani,

¹ Cfr. fasc. sup.

curante Istituto Historico italicico, anno 1918 editus est. - 3. *Largitorium* anno 1103 collectum donationes et emphiteuticas concessiones ab anno 792 ad scriptoris aetatem recenset. In eadem bibliotheca (addito n. 2 Fundi Farfensis) asservatur: a Iosepho Zucchetti, Instituto historico curante, Romae anno 1913 editum est.

Potissima scripta haec sunt; reliqua minoria hinc inde dispersa per orbem, a Farfensi coenobio emigraverunt.

RESURRECTIONIS CONATA

Farfense coenobium a pristina gloria cedit, quod bellorum perpetuorum incommodo ad egestatem redactum Sabinorum Dynastae quum invenissent, neque stipendia canonice statuta solverunt neque possessiones, emphiteutica fide receptas a coenobio, reddiderunt. Tum Summi Pontifices, ut id quod supererat servari posset, Legatum Commendatarium statuerunt, cuius ope et consilio sperabant omnia brevi in pristinum reddi posse. Sed frustra.

Primus Cardinalis Commendarius Franciscus Tomacelli salutatus est, qui ut sortem coenobii restitueret, secum ad Farfense coloniam Monachorum Germanorum e Sublacensi coenobio duxit; sed eventus spei par non fuit. Ursiniis imperantibus octavo kal. Aprilis anno millesimo quadragesimo sexto et nonagesimo quum vetus templum undique fatisceret, novum a fundamentis erectum est e vetere columnis marmoreis detractis una cum porta affabre facta, quae nunc etiam in loco videnta exstant. Romanicum templum tali modo deletum est, de quo nobilissima fragmenta et pictoricae et sculptoriae artis collecta atque in ordinem disposita, sub porticu claustralii adhuc existunt.

Interea Teutones monachi in coenobium adducti de loco silvoso, de parentia solis mussitabant, cupidi ad Sublacense coenobium quantocius revertendi. Cuius rei causa ea reformatio quam Teutonum monacho-

rum opera et exemplo speraverant antistites, reapse ad effectum non pervenit; immo, eorum insolentia causa iurgii fuit, ita ut ipsi Summi Pontifices et Commendatarii Cardinales adesse coacti sint, ne Teutones monachi Farfense coenobium relinquerent.

Quum vero experientia docuisset nihil profecisse Commendatorum Cardinalium operam ad observantiam Monachorum restituendam, Ludovici Barbi studio ac diligentia in patavino S. Iustinae coenobio factum est, ut Commendatarius honor extingueretur, cuius loco Congregatione una plures abbatiae congregatae, uno regimine moderarentur; regimina vero in unum collecta auctoritate ornata sunt electionem faciendi sive Abbatis, sive Ministrorum, sive Accensuum singula Coenobia regendorum. Tali modo externorum opera e coenobiis reiecta, regularis disciplina facile restituata est.

Farfense coenobium primo Sanctae Iustinae Congregationi adscriptum fuit, deinde, anno millesimo quingentesimo quinto, quum Casinense coenobium Barbi reformationi accessit, huic Casinensi Congregationi adscripta in eadem adhuc permanet.

Tunc Commendatarius erat Farfensis Cardinalis Alexander. Hic in Monachorum rem manus, magno cum Abbatiae damno iniecit; nam Abbatii claustrali totam in Monachorum auctoritatem de internis rebus concedens, sibi suisque accensibus civile et administrativum ius adscripsit; quae distinctio perennis certaminum et pugnantium sententiarum causa fuit. Ita ad annum millesimum septingentesimum octavum et nonagesimum coenobium Farfense, equidem, non bene vixit cum Francorum Reipublicae expoliationibus; deinde anno millesimo octingentesimo et sexagesimo, deinde anno millesimo octingentesimo secundo et septuagesimo, omnibus coenobii bonis ablatis, unus tantum sacerdos, quasi custos in disperso grege, in eodem relictus est,

Raptores Franchi nulli rei pepercerunt; bona coenobii, reliquias, thesauros, sacras vestes, aera campana, codices, tabulas pictas, omnia praedae dederunt. Ille celebris codex manu exaratus cui nomen « Regestum Gregorii a Catino » Reate translatum, reatinus subpraefecto quasi scannum scriptoriae tabulae inserviit, quoad in Vaticanam Bibliothecam conditus fuit. Sanctuarium Beatae Mariae Virginis et Coenobii pars italicica Regno adscripta fuerunt; quod superfuit privatis civibus venditum, nunc in Comitis Volpi possessionem incidit.

Tandem Regio Decreto die V idus Octobres anno millesimo nongentesimo duodecimtesimo dato, cautum est ut Farfense coenobium, quippe antiquis iisque celebrerrimis fastis insigne, Italicae gentis cultui sacraretur atque publice protegeretur tamquam civilis historiae artisque monumentum.

A. AURELI.

DE M. TULLIO CICERONE ORATORUM ROMANORUM PRINCIPE¹

Pollitus eram in primo anni fasciculo scriptorum me de adolescentia M. Tullii Ciceronis; postea, praetermissa vita publica viri, dicturum, qualis habuissevit vitae exitum. Nunc intellego de ipso fine clarissimi hominis non satis esse narrare de extremis horis eius, sed altius repetendum esse exponendumque, qui sit factum, ut summus orator urbis tam foeda caede extinguatur.

Erat annus urbis 709, Ciceronis 63, a. Chr. n. 44, C. Iulius Caesar consul V erat, dictator IV, et collega M. Antonius. Cicero eo anno scripsit *Tusculanas disputationes*. Fuit Romae et in senatu kal. Ianuarii. Lupercalibus illius anni, idest XV kal. Martias, Caesar pro rostris sedens amictus toga purpurea spectabat lupercos.

¹ Cfr. fasc. sup.

Ex illis unus, M. Antonius, accedens ponit in Caesaris capite diadema, quod ille cum plausu populi reiecit. Idibus Martiis Caesar in Pompei Curia viginti tribus confossus a coniuratis vulneribus concidit. M. Brutus cruentum tollens pugionem Ciceronem exclamavit, Ciceroni gratulatus recuperatam libertatem. Quam ob rem postea Antonius in senatu dixit Ciceronis consilio interfectum Caesarem esse. Recuperunt se interfectores in Capitolium. XVI kal. Apr. convenit senatus in aedem Telluris, ubi Cicero ostendebat omnem memoriam discordiae sempiterna oblitione delendam esse. Etiam Antonius peroravit de concordia. Descendunt de Capitolio interfectores cenantque apud optimates.

Sed quum Caesar elatus funere et laudatus a M. Antonio esset, plebs cum facibus ad Bruti et Cassii et ceterorum domos venit, et aegre prohibetur vi. Tum Brutus et Cassius vitata urbe otium consumperunt Antii et Lanuvii. Cicero post kal. Apr. lustravit villas suas neque quidquam maluit quam rusticari. Cuius rusticationis fructum habemus tres libros *de natura deorum*, duos *de divinatione* libros, *de senectute* et *de amicitia* dialogos, tres illos *de officiis* libros. Scripsit etiam *de fato et de gloria* libros. Mense Aprili et Maio Antonius percurvavit Italiam. Interim Dolabella, qui pro occiso Iulio suffectus consul erat, bustum Caesaris, quod in foro erat, evertit. Nam ibi plebs columnam lapidis Numidici erexerat pedes altam viginti inscriptis verbis: « Parenti Patriae », et apud eam sacrificabat et vota sucipiebat et controversias interposito per Caesarem iureiurando distrahebat.


C. Octavius, qui postea Caesar Augustus fuit, quum Iulius Caesar, avunculus magnus eius, interfactus est, Apollonii erat. De caede factus certior in Italiam contendit, fuit ruri cum Cicerone perhonofifice et amice in Cumano Ciceronis,² Ro-

² Ad Att., XIV, 10.

mae ab Antonio cons. superbe est acceptus. Adiit invidiosam Caesaris hereditatem et nomen, ut, qui prius Octavius fuerat, de more diceretur C. Iulius Caesar Octavianus.

Extremo mense Maio (a. 44) Tullius prefectus est versus Romam, ut kalendis Iunii adasset in senatu. Quo quum Antonius stipatus armis venisset, senatores metu fugerunt. Mense Iulio decernit liberae nomine legationis proficisci in Graeciam. Quo in itinere duos *topicorum* libros ad Trebatium scripsit. Kalendis Sextilibus venit Syracusas. Postridie ventis delatus est Leucopetram, Regini agri promontorium; ex eodem loco provectus stadia circiter trecenta coorto austro reiectus Leucopetram est. Intempesta nocte mansit in villa P. Valerii comitis et familiaris sui exspectans ventum. Tum veniunt Roma Regini quidam illustres homines, qui nuntiant summam spem esse fore ut Antonius cederet, res convenienter, Caesaris interfectores in urbem reverterentur. Et adiunt Ciceronem desiderari a multis, et, quod abesset, subaccusari.

Hic Cicero abiecto consilio dissectionis devectus celeriter Veliam convenit Brutum, qui excedens Italia cum suis navibus erat non longe a Velia. Inde festinavit Romam et accedenti ad urbem tanta obviam processit multitudo, ut gratulatione adventus totus abiret dies. Kal. Sept. Antonius senatum habuit de supplicationibus decernendis Caesaris et vocavit in Curiam Ciceronem. Qui e via languens et sibi ipsi displicens, fortasse veritus insidias, renuntiare iussit Antonio venire se non posse. Antonius id aegre ferens minitatus est se, nisi veniret Cicero, missurum fabros esse, qui disturbarent domum eius; multis tamen deprecantibus conquivit. Venit postridie in senatum Cicero, quum non venisset Antonius, ubi prima sua *Philippica oratione* profectionis suae et reditiois causas expavit, de invidia Antonii et de actis Caesaris disputat, Antonium et Dolabellam consu-



les hortatur, ut in regenda republica utantur moderatione.

Tum vero Antonius incensus ira Ciceroni denuntiat inimicitias eumque in senatu adesse iubet XIII kal. Oct. Quum etiam septemdecim dies in Tiburtino Scipionis contra Tullium declamavisset, XIII kal. Oct. quadrato agmine venit in templum Concordiae atque in Ciceronem absentem impuro ore orationem vomuit; vomere, non dicere visus omnibus. Amici eo die Ciceronem, ne in senatum iret, retinuerant. Abstinuit ergo senatu, sed scripsit *Philippicam secundam*, qua crimina sibi ab Antonio obiecta refutat, totamque vitam Antonii perlustrat, et ita scribit, ut si ea oratio XIII kal. Oct. in praesentem Antonium esset habita. Qui obviam proficiscitur quatuor illis legionibus, quae a Caesare missae in Macedoniam erant, et audita imperatoris caede revertebantur in Italiam, has in urbem erat adducturus.

Cicero interim rus se contulit et libros *de officiis* absolvit. Antonius senatus ut adesset frequens a. d. IV kal. Dec. in Capitolio edixerat. Quo die nuntius est allatus legiones Martiam et quartam, relicto Antonio, ad Caesarem Octavianum transisse. Hic Antonius mente concidit, paludatus in citeriore Galliam properavit, quae ei, quum esset D. Bruti provincia, a populo commissa erat. Resistit Brutus Antonio polliceturque provinciam Galliam se in potestate senatus populique retenturum. Cicero quum V Id. Dec. venisset Romam trib. pl. edixerunt ut senatus adesset a. d. XIV kal. Ian. Statuerat Tullius ante kal. Ian. vitare senatum, sed quum edictum Bruti eo ipso die in quem tribuni convocaverant, esset propositum; mane in senatum venit. Quod ubi est animadversum, frequentissimi senatores convenerunt. Retulerunt tribuni de praesidio dando Pansa et Hirtio coss. designatis, ut kal. Ian. senatus haberi tuto posset, et Cicero sententiam interrogatus, *tertia Philippica* censuit

ut decerneretur praesidium, et quae Octavianus Caesar egisset, publica auctoritate confirmarentur, et ut milites, qui ab Antonio ad Caesarem transissent, afficerentur praemiis, et ut Brutus ceterique provincias retinerent suas, nisi quis ex senatus consulto successisset, factoque in hanc sententiam senatus consulto progressus in concessionem *quarta Philippica* populum docuit quid actum in senatu esset.

Kalendis Ianuariis anni a. C. n. 43 consules post sollemnem religionem senatum habuerunt in Capitolio de M. Antonio, qui tum Mutinam obsedebat. Brutum oppugnans. Nonnulli mitiorem dicebant sententiam mittendosque ad Antonium legatos. Sed Cicero quinta sua *Philippica* non modo legationem dissuadebat, verum asseverabat persequendum bello Antonium esse et afficiendos honoribus, qui rem publicam adversus Antonium defenderent. Postridie Antonius, sicut Cicero censuerat, iudicatus hostis esset; sed, ne fieret, intercessit Salvius tr. pl. Decrevit tamen senatus ut D. Brutus laudaretur, quod Galliam non cessisset. Antonio, ut Caesar illo quem haberet exercitu bellum gereret, illique poneretur statua, ut sententiam loco consulari diceret, consulatumque ei liceret petere decem annis prius, quam permittere legibus, et ut parta Victoria tanta pecunia publice daretur militibus, qui Antonium reliquissent, quantam eis pollicitus esset Caesar.

Pridie Nonas Ianuarias factum est senatus consultum ut Ser. Sulpicius cum L. Pisone et L. Philippo et quibusdam aliis viris mandata ad M. Antonium perferrent. Quam rem eodem die Tullius *Philippica sexta* populo exposuit. Dum legati exspectantur et responsa ab eius amicis configurerentur, Cicero, veritus ne senatorum animi ad infidam pacem inclinarent, *Philippica septima* in senatu pacem dissuadet tribus de causis: quod esset turpis, quod esset periculosa, quod esse non posset.

In illa autem legatione Sulpicius mortuus est. Piso et Philippus ab Antonio intolerabilia postulata rettulerunt. Senatus decernit «tumultum», quum belli nomen quibusdam displiceret, quod M. Tullius reprehendit *Philippica octava*. Nona deinde *Philippica* auctor est ut Sulpicio poneretur statua pedestris aenea in rostris. Ante pugnam Mutinensem Cicero *Philippica decima* pro M. Bruto et Q. Hortensio, *undecima* contra Dolabellam et pro Cassio dixit.

XIV kal. Apr. senatus decrevit legatos ad Antonium mittendos ipsum Ciceronem et P. Servilium. *Philippica duodecima* contendit inutilem esse legationem neque se idoneum qui obiret. Ineunte mense Aprili Pansa cons. ad bellum profectus est. M. Aemilius Lepidus, qui furto in locum C. Iulii Caesaris pontifex maximus creatus erat, decreta sibi Hispania, adhuc in Gallia erat, unde ad senatum dedit litteras, quibus cum Antonio pacem faciendam ostendebat, et hoc successu, ut non pauci senatores, quod incerti essent exitus belli, pacem suaderent. Sed Tullius rogatus sententiam *Philippica tertia decima* rationibus adversariorum confutatis, cum Antonio et Antonianis pacem esse posse negabat, quo esset animo Antonius illustrans litteris ab eo ad Hirtium et ad Octavianum datis. Et propriis litteris³ XIII kal. Apr. Lepidum castigat: «Pacis inter cives conciliandae te cupidum esse laetor, eam si a servitute seiungis, consules et rei publicae et dignitati tuae; sin ista pax perditum hominem in possessionem impotentissimi dominatus restituturast, hoc animo scito omnes sanos, ut mortem servituti anteponant. Itaque sapientius meo quidem iudicio facies, si te in istam pacificationem non interpones, quae neque senatui, neque populo, nec cuiquam bono probatur».

Post profactionem Pansa cons., quum D. Brutus Mutinæ iam se vix sustineret,

³ Fam., X, 27.

Romæ orta est magna perturbatio animorum omnibus vel foedissimam mortem vel miserabilem fugam cogitantibus. Tum impii cives vocem iactarunt in vulgus Ciceronem pridie Vinalia, hoc est X kal. Maias, descensurum cum fascibus esse. Interim, XVII kal. Maias, Antonius ad Mutinam bello superatus est. Illis diebus P. Appuleius tr. pl. concionem habuit, in qua quum Ciceronem liberare vellet suspicione fascium, una voce tota declaravit concio nihil unquam a M. Tullio nisi optima de re publica cogitatum esse. Tribus fere horis post eam concionem nuntius et litterae de victoria Mutinensi advenerunt. Tum vero ingens populi factus est concursus ad Ciceronem, et ipse ductus in Capitolium collactusque in rostris et inde deductus domum.

Qui X kal. Maias *quartadecima* eademque postrema *Philippica* oratione decrevit supplicationem dierum quinquaginta trium imperatorum Pansa, Hirtii, Caesaris nomine ob Antonium hostem superatum, qui ceciderant in proelio laudavit, eorum propinquos consolatus est. Et quod in proelio Hirtius ceciderat, Pansa paucis diebus post ex acceptis vulneribus obiit, fama increbuit Ciceronem factum esse consulem. Et certum est illum tum quidem praefuisse fere rebus gerendis, instanti illi iam fato. Nam Antonius a Lepido exceptus est et Octavianus, quum id rescisset, causam optimatium deseruit, quadringentos ad senatum misit milites, qui sibi exercitus nomine deposcerent consulatum. Cunctanti senatui Cornelius centurio, legationis princeps, reiecto sagulo ostendit capulum gladii et: «Hic, — inquit, — faciet si vos non feceritis». Hic Cicero: «Si ita consulatum petieritis, accipiet». Itaque re infecta quum milites revertissent, Octavianus Antonium et Lepidum arcessit in Italiam, ipse legiones hostiliter ad urbem ducit. Venit ad eum Cicero, qui paulo post lectica abditus ex urbe profugit. Octavianus X kal. Oct. adolescens viginti anno-

rum, consulatum init cum Q. Pedio, breve legem tulit de quaestione habenda in eos, quorum opera occisus pater esset; lex Pedia nominata est, quod Pedius tulebat, qua lege omnibus, qui Iulum Caesarem interfecerant, aqua et igni interdictum est. Et Octavianus quidem factus consul Ciceronem valere iussit. Sed pace facta cum Antonio et Lepido copias in unum locum contrahunt et imperium Romanum inter se dividunt. Convenit etiam inter eos, ut in quinque annos essent triumviri rei publicae constituendae, et ut suos quisque inimicos proscripteret. In ea autem proscriptione plurimi equites fuerunt, centum triginta senatorum nomina. Maximam vero contentionem, inquit Plutarchus, Ciceronis proscriptio praebuit, quum Antonius nullam acciperet condicionem, nisi is primus tolleretur de medio, huic assentiretur Lepidus, Caesar repugnaret. Convenerunt triumviri in quadam insula fluminis, quod praeterlabitur Bononiam. Et paucis quidem diebus Caesar pro Ciceronis salute cum collegis contendit, sed tertio die concedens vitam eius prodidit sic facta permutatione, ut Caesar Ciceronem proscribi permetteret, Lepidus L. Paulum fratrem, L. Caesarem avunculum Antonius. Sed nihil tam indignum illo tempore fuit, ut ait Paterculus, quam quod aut Caesar aliquem proscribere coactus est et ab illo proscriptus est Cicero. Quae indignitas excivit sexdecim saeculis post Iacobum Balde, poëtam illum aulae Bavarorum, ut conspecta in hortis Castelli Schleissheim Ciceronis statua exclamaret:

Ingratus hic et barbarior fuit
Lictore, qui te, Marce, reliquerat
Lictoris infami sub ictu;
Popilio quoque parricida
Octavianus paene nocentior.⁴

(*Ad proximum numerum.*)

A. HABERL.

⁴ *Lyric.*, II, 25.

Veteris monumenta Romae

DE THERMIS DIOCLETIANAEIS¹

Hae porticus, inter exteriorem et internam zonam erectae, deambulationes, umbras viridiariis arboribusque commoda offerebant, siqui essent qui ad interiore zonam pergere optarent. In hac altera lacus ingens, « natatorium », centum pedes porrectum in latera, ducentos in frontibus, cui hinc athletarum campus, « xistrum », inde « stadium », ubi nempe cursus equitum, curruumque. Simulacula, delubra, duae basilicae insuper, seu regalia tempa porticibus insignia, litus ornabant. Quantus erat fons Marcius in lacum purissimus decidebat, et occultis inde cuniculis defluebat. Inde aditus erat ad thermale palatium, seu potius ad thermales aedes quadrilatera forma porrectas, cui in medio emicyclus erat columnarum ingentium, et quadruplum nobilissimum vestibulum. In centro « hypocaustum » statutum, scilicet fornax immanis, in qua calefactae aquae vaporem immitterent in calidaria. Marmoreae, porphyreticae arcae per conclavia dispositae, conclavia ipsa pretioso marmore fulgebant; specularis marmoris laminae (sulphatum calcis chrysanthinum) in fenestris dispositae lucem ingredi sinebant. Argentea episthomia, statuae, anaglypta ex aere, marmore, tabulae, picturae, celeberrimorum artificum omnia, parietes inplebant; canorae aves, peregrinae bestiae, prata, horti, luci amoenitatum omnium summam complebant.

Haeret animus ac nutat, nec penitus acquiescere potest brevissimo temporis, quo tanta simul tentata, erecta, perfecta sunt. Ac tamen rudera ingentia testimonium perhibent absolutarum rerum. Scimus praeterea, traditione monente, actisque Martyrum rem confirmantibus, Christianos illic

¹ Cfr. fasc. sup.

ad opera publica damnatos sudorem, lacrymas, sanguinem immanibus operibus effusisse. Quadraginta Christianorum millia traduntur illic ab anno CCCIII ad CCCVI ingemuisse. Quos colit Ecclesia Romana Martyres, Largus, Cyriacus, Sisinus, Saturninus, Smaragdus, quorum ad acta delegamus lectores, hic opus damnatis inter verbena, et ungulas, et lora et stimulos acutos fratribus in Christo impendebant; inde, quoties vesana sanguinis rabies spectantes in Flavio cives invaderet, et « Christiani ad bestias! » requirerentur, inde, inquam, quasi ex fodina quadam innocentium, eruebantur et in amphiteatrum tigribus, leonibus, hyenis lacerandi, discerpendique devorandique rapiebantur; quippe eodem anno, quo iussae sunt thermae, Maximiano Augusto, qui Romae tunc erat, urgentius exstimplante et instante, Diocletianae immanissimae persecutionis editum est. Nec raro contingit incurrire in thermarum harum lateres ac tegulas signo crucis notatas, quo forsitan Christianus ad lateritia conficienda damnatus salutem damnatis ad aedificandum mittebat, ignotus ignotis, ac tamen in Christo fratres utriusque.

Quamquam pro certo habendum est, quo tempore Alaricus per Salariam portam in urbem introivit, una cum Sallustianis et Lucullianis hortis et aedibus, has thermas irrumpentibus, populantibus, vastantibus, succendentibus barbaris primo patuisse, attamen a *Notitiario Imperii* et a Sidonio Apollinari, qui circa ultimos v saeculi luctuosissimi annos carmina Crescentio scribebat, eas et esse et frequentes populo fuisse, restauratas in iis, quae a barbaris tolerarant.

At num ignoramus Totila saeviente Romanum quadraginta diebus vacuam habitatoribus remansisse, et vix duodecim civium millia, multum precante et adhortante Pontifice, et religionis praemia caelestia spondente redeuntibus, potuisse rursus enumere?

Adde insuper desolationi terraemotus, adde ruinas, quas provocabant rapaces homines modo thesauros abditos, ut putabant, exquirentes, adde pretiosa marmora sublata, nemine curante tot in angustiis ac sollicitudinibus; omnia ferme de tanto aedificio conciderunt. Haud aliter atque amphiteatrum, ceteraeque thermae, hae quae magis a nucleo resurgentis urbis distabant, tamquam fodinae marmorum caementorumque habitae sunt. Scimus inde ablatas ducentas et ultra columnas, praeterea vim simulacrorum ingentem, ac formam aedificii, quae adhuc in fundamentis et ruderibus et reliquiis perspicua erat, a Palladio architecto mirifici relatam et expressam.

Iamque ad annum MDLXI ventum erat; millennium vastationum, et neglectus, et eruptionum nondum exterminare potuerant, et undeviginti aulae plus minusve direptae adhuc restabant, quas inter integra pinacothecae media, et integri fornices, qui a solo ultra nonaginta pedibus eminebant, quos immanes ipsae immaniores columnae monolithae ex porphyre orientali, quod granitum vocant, 72 palmis altitudine, viginti tribus circuitu, sustentabant, quas mole territus nemo a loco dimovere ausus erat. Michael Angelus Bonarroti saepius ea per loca solitarius deambulans, terribilibus cogitationibus caepitique suis simile quid requirens in horribili devastatione illa (atqui octogesimum et sextum agebat annum!), ardenter oculis illa considerabat digna Michaelangelo. O si... At eo tempore Antonius De Luca, sicutus sacerdos, Pium IV rogabat ut illas ruinas sibi templum ibi Ss. Angelis excitaturo concederet; futurum inde ut aliiquid superesset saltem de tanto aedificio tot Martyrum sancto manibus et cruore et lacrymis, religione locum conservante ac tuente.

Pius IV e Medicea gente erat; qui quidem Leonis X aemulatus gloriam et animum Bonarrotio credit operam. Arsis iuvenili robore, virili virtute senex im-

mensus, et, servatis ferme omnibus, tem-
plum ex aula fecit; tantum pavimentum
extulit, octo circa palmis a veteri strato,
ne mucorem gigneret, ne exitiosum aut
insalubre venientibus precatum vel visum
esset. Plausit Pius, Roma plausit; nihil
enim reviviscenti pinacothecae deesse a
veteri videbatur.

At Vanvitellius architectus, Righi Car-
dinale acciente, et opus committente, non
horruit Bonarrotiae operae violentas in-
ferre manus, et mutatis portis, et additis
quibusdam cachinnis pulchritudinem mi-
nuit, magnificentiam extenuavit. At quam-
vis ea fecerit, quae non licuisset, nihil
minus templum mirabile semper est, cui
Franciscus Bianchini meridianam addidit,
sole super pavimenta signante menses et
horas, quod opus Lalande adlaudat tam-
quam perfectissimum, ornatissimum, et in
omni huiusmodi maximum. Praeclaras ha-
bet tabulas templum, simulacula insignia.
Quae domus Contemplantium Monachorum
erant, nunc in alium conversae sunt
usum, in museum scilicet. Atrium dignum
visu est, centum ex columnis porticu no-
bile, Bonarrotii eiusdem opus. Atque huius
manu olim creditae solo dicuntur cupressus
altissimae, quae in medio germinant atrio.

Haec dixisse licuit, immo cumulasse ad
recordationem tantarum rerum rursus cien-
dam, non quidem ad omnia, quae dicenda
essent, absolvenda.

G. P.

LATINAE ADNOTATIUNCULAE

Observe - Colere

«Observe» duo significat: unum est
quod «custodio aliiquid oculis animoque»
in modum speculatoris, ne nos silentio
tacitoque praetereat, ut ex. gr.: observa
transeuntes, observa filium, observa Ti-

tium quid agat, quid loquatur; quasi cu-
stodi, et adnota. Et hinc fit observatio,
quasi adnotatio et animadversio.

Item «obervo» non speculantis modo,
sed admirantis est, venerantisque; et id
tantum in homines, non in res quoties
quem vel virtute vel dignitate suspicimus,
unde fit «observantia», quae est veneratio
quaedam et honoris exhibitio.

Prioris significationis exemplis omissis,
secundae ex Cicerone subiicimus:

Famil. V: Hoc magis sum Publio dedi-
tus, quod me, quamquam a pueritia sua
semper, tamen hoc tempore maxima, sicut
alterum parentem, et observat, et diligit.

Famil. VI: Et omnes fere familiarissimi
eius, quasi devincti meis magnis veteribus
officiis, me diligenter observant et colunt.

Famil. VII: Olim, quum regnare existi-
mabamur, non tam ab ulla, quam hoc tem-
pore observer a familiarissimis Caesaris
omnibus.

Ibid.: Est homo non ingratus, meque
vehementer observat.

Famil. IX: Qui me quidam per officiose et
per amanter observant.

Famil. XIII: Meus autem est familiaris-
simus, sic prorsus, ut nostri ordinis obser-
vem neminem diligentius.

Ibid.: Quamque unum praeter ceteros
observat, ac diligit.

Ibid.: Marcus Aemilius Anianus ab in-
eunte adolescentia me observavit, semper
que dilexit.

Ibid.: Et eo magis, quod intellexi, ut
primum per aetatem iudicium facere potue-
ris, quanti quisque tibi faciendus esset, me
a te imprimis coepit esse observari, coli,
diligi.

Ibid.: Caius Cluvius Puteolanus valde
me observat, valdeque est mihi familiaris.

Ibid.: Sed me colit et observat aequa,
atque illum ipsum patronum.

Ibid.: Sed et initio Romae, quum te
quoque et omnes tuos observabat, me coluit
imprimis.

Ibid.: Veicetini me ut M. Brutum praeci-
pue observant.

Offic. I: Sicut aliquo honore aut imperio
affectos observare et colere debemus.

Ad Q. Fratrem: Fert enim graviter ho-
mo et mei observantissimus, et sui iuris
dignitatisque retinentissimus, se apud te
neque amicitia, neque iure valuisse.

«Colere» quum proprie sit «resolvere
et fermentare terram» translate significa-
vit studium, operam ponere in aliqua re
perficienda, assiduum esse circa rem aut
personam aliquam; itaque dictum invenitur
de inferiore persona ad superiorem; raro
quidem de superiore ad inferiorem, ut a
nonnullis exemplis superius allatis de-
duci potest, et clarus eluet ab iis quae
sequuntur, a Cicerone pariter depromptis:

Famil. IV: Servius tuus, vel potius no-
ster, summa me observantia colit; cuius
ego cum omni probitate et virtute tum stu-
diis doctrinaque delector.

Ibid.: Quod facile appareat quam me
colat et observet.

Famil. VI: Exstatque id quod mihi ostend-
deras quibusdam litteris, te studiosorem
in me colendo fore, quam in provincia
fuisses.

Famil. IX: Sic enim color, sic observer
ab omnibus iis qui a Caesare diliguntur, ut
ab eis me amari putem.

Ibid.: Nam quum satis a multis (non
enim possum dicere aliter) et coli me vi-
deam et diligi, nemo est illorum omnium
mihi te iucundior.

Ibid.: Qua fide mecum vivant ii, qui me
colunt et observant, praestare non pos-
sum.

Famil. XI: Quare, quod mea tuaque pa-
titur aetas, persuade tibi, te unum esse,
in quo ego colendo, patriam mihi constitu-
sanctitatem.

Famil. XIII: Te enim semper sic colam
et tuebor, ut quam diligentissime.

Ibid.: Sic ego, qui in isto homine colen-
do tam indormivi diu, te mehercule saepe

excitante, cursu corrigam tarditatem, tum
equis, tum velis.

Ibid.: Meque pae ceteris et colit, et
observat, et diligit.

Orat. post redditum: Ego vos universos,
Patres Conscripti, deorum numero colere
debo.

Ibid.: Ex quo augurum institutis in pa-
rentis eum loco colere debebat.

FORFEX.

Selecta et bibliothecis ex archivis

MEDICAE NOTAE

De Litteratorum morbis¹

Affectu quoque myopiae contrario inter-
dum laborant qui scriptioni ac lectioni ni-
mis addicti sunt, adeo ut temporis pro-
gressu obiecta ab oculo longe remota tenere
iis necesse sit, quod vitium senibus fami-
liare est; etenim quum incurvi ac proni-
scribant ac legant, facile humor crystal-
linus ad pupillam prolabitur, eamque obtu-
rat, ac caecitatem inducit...

Praeterea litterarum studiosi quum le-
gendo et scribendo, capite ac pectore incli-
nato libris incumbant, ventriculum et pan-
creas comprimunt, ex qua compressione
stomachus oblaeditur, et succi pancreatici
per suos ductus cursus inhibetur, unde
postea viscerum naturalium oeconomia per-
turbatur; ex qua succi pancreatici inter-
ceptione in hypocondriacis affectibus valde
fit noxia.

Nephritis quoque et arthritis, quae vitae
sedentariae pedissequae sunt, litteratorum
morbis comites se iungunt; perraro autem
quis arthriticus est, quin fiat nephriticus,
non tam quod in arthriticis lecto seu sellae
affixis lumbi ac renes ob assiduum decu-
bitum et sessionem graviter fatigentur,
quam quod utriusque effectus eadem sit
materialis causa...

¹ Cfr. fasc. sup.

Haec in universum patiuntur litterarum professores; ex iis tamen quidam sunt, qui peculiaribus morbis vexari solent, uti Concionatores, Philosophi, continuo in scholis disputantes, Advocati in foro... et quotcumque alii, qui circa vocis exercitium detineri solent. Hi enim distillationibus et vasorum in pectore ruptionibus non raro sunt obnoxii. Politici vero, Iudices et qui publicis ministeriis sunt addicti, studiis, magnis laboribus ac vigiliis attriti, inter hypochondriacos primas tenent, et in miasmum paullatim prolabantur.

Multo mitius vero cum Medicis res agitur, clynici tamen, et lectoriis, quorum studium praecipue est circa medicam praxim et quotidiam aegrorum visitationem; hi enim non tot morbis conflictantur, ac si aliquando aegrotant, non sedentariae aut statariae vitae, sed cursuali causam acceptam referunt. Non semel profecto mirari subit, quomodo grassantibus gravibus epidemiis, malignarum febrium, pleuritidum, aliorumque popularium affectuum, medici clynici, quodam veluti artis privilegio, impune incedant; quod non tam illorum cautelae adscribendum putent, quam magnae exercitationi et animi hilaritati, dum bene nummati lares suos repetunt... Non semper tamen impune evadunt; etenim ob assiduos labores et scalarum ascensum, multos ex his herniosos factos novi. Similiter quum dysenterici fluxui vagantur, aliquando et ipsi dysenterici fiunt; quod forte ipsis evenit ob sessionem longam coram aegro ac miasma per os, vel aliam partem susceptum; quare satis caute se gerunt, qui in dysentericorum curatione stantes se expedient, et sessionem suspectam habent.

Haud minus malam morborum segetem ex studiis suis referunt Poëtae, Philologi, Theologi, scriptores omnes et ceteri litterati circa mentis officia occupati; poëtae praesertim ob phantasticas ideas, quas die ac nocte in mente versant, attoniti sunt,

morosi, graciles... Eos porro, qui ingenio magis praestant, ac ut ingeniorum monstra praedicantur, quasi fato quodam et fortunae malignitate e vivis sublatos legimus. Io. Picus, ingeniorum phoenix, vix sextum lustrum egressus, immaturam mortem Florentiae subiit, magno reipublicae litterariae damno.

Mathematici, quibus animum a sensibus et corporis fere commercio seiunctum esse necessum est, ut res abstrusissimas et a materialitate remotas contemplentur ac demonstrent, omnes fere extra se positi sunt, lenti, veterosi atque in humanis rebus semper hospites. Partes itaque omnes, ac totum corpus necesse est, veluti situ quodam ac torpore languere, non secus ac perpetuis tenebris damnatum. Dum enim mens ad huiusmodi studia intenta est, tota lux animalis in centro conclusa est, neque ad exteriora illuminanda diffunditur...

Verum quum tanti pro Reipublicae bono intersit sapientes ac litteratos homines bene valere, aequum est ut litteratorum valentudo sarta tecta, quantum fieri possit, servetur, ac quoties a suo statu decidat, restituatur.

Studeant itaque primo ut in aere puro ac salubri degant, procul a stagnis ac paludibus ac ventis australibus; siquidem hoc pacto puriores erunt spiritus animales, intellectualium operationum potissima instrumenta.

Rusticari propterea et aura liberiore gaudere, ac vario vitae genere uti, modo ruri esse, modo in urbe ipsis salutare est, frequentiam ac solitudinem ad invicem temperando: illa enim nostri, haec hominum desiderium facit. Cavere quoque debent a validis ventorum afflatibus, Austri et Boreae, ab hyberno frigore corpus, ac praecipue caput muniendo...

Quod victum spectat, Hippocratis praceptum pro oraculo habendum, sanitatis studium esse non repleri cibis. A satietate igitur, insuperque a ciborum varietate ca-

vere debent, ut quae cacochyliam et turbas in ventre ciere soleant, siquidem, ut ait Horatius (*Sat. II, 2*):

cum simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumul-
[tum]
Lenta feret pituita.

Ventriculi ergo magna custodia habenda, ne a functionibus suis aberret, ac totum corpus plectatur.

Quoad potum, vinum ceteris potionibus praferendum; meracum laudatur, sed modicum. Scio multos e litteratis, suorum medicorum consilio, ut possent liberaliter se proluere, vina alba, tenuia in usu habere; quo pacto putant sibi licere sine noxa bibere, quantum lubeat; quod certe non adeo tutum, ut putant. Vina haec tenuia, aestate praecipue, aciditatem quandam adsciscunt, qua nihil perniciosus, ubi luxuriet acidum... Litterarum itaque cultoribus arthritide, colica, affectione hypochondriaca vexari solitis, qui affectus ex acido morboso genesim suam ducunt, neutiquam acidorum usum, sed ea, quae illud infringant, convenire satis perspectum est.

Quoad ceterarum rerum regimen, ut sedentariae ac statariae vitae incommoda declinent, moderata corporis exercitatione quotidie erit utendum, si tamen aer purus ac serenus sit, et venti sileant; molles etiam frictiones, ad transpirationem tum servandam, tum promovendam, in usum frequuentiorem revocandae; lavacrum quoque aquae dulcis, aestate praesertim, quo tempore atra bilis litteratos infestat, valde salutare esset; sic enim humorum acrimonia temperatur et squallida viscera remollescunt. Tempus balneationi magis opportunum erit vespertinis horis; deinde cibum sumere et cubitum ire; hic enim apud antiquos mos erat atque ordo. Sic Homerus:

Ut lavit sumpsitque cibum, dat membra sopori.

Tempus vacandi studiis magis commodum matutinum commendari solet; non ita

vero nocturnum, ac praesertim post coenam. Verum in hac re attendenda est cuiuscumque consuetudo; cavendum tamen ne id post cibum ingestum fiat, sed peracta coctione...

Incumbant ergo ad sapientiae studium litterarum professores, sed cum moderamine inculpatae tutelae, nec tam sedulo circa animi cultum occupati sint, ut corporis curam negligant, sed bigae medium quasi libramentum sustineant, adeo ut anima et corpus fideli contubernio, veluti hospes et hospitator, mutua officia sibi praestent, neque ad invicem se conterant.

B. RAMAZZINI.

COLLOQUIA LATINA

Occensus inopinatus¹

PAULUS - CLAUDIUS

PAULUS - Aut parum prospiciunt oculi, aut Claudium veterem compotorem meum video.

CLAUDIUS - Imo nihil te fallunt oculi tui: vides sodalem ex animo tuum. Nulla cuiquam erat spes reditus tui, qui tot annos abfueris, ignaris omnibus, quae te terrarium haberet regio. Sed unde? dic, queso.

PAUL. - Ab antipodibus.

CLAU. - Imo ab insulis, opinor, Fortunatis.

PAUL. - Gaudeo quod agnoveris sodalem tuum; nam verebar, ne sic domum redirem, quemadmodum redit Ulysses.

CLAU. - Quonam pacto redit ille?

PAUL. - Nec ab uxore est agnitus. Solus canis iam vetulus, mota cauda, dominum agnovit.

CLAU. - Quot annos ille domo abfuerat?

PAUL. - Viginti.

CLAU. - Tu plures abfueristi; nec tamen

¹ Ex ERASMO recognovit, deprompsit hodiernaeque vi-
tae libere aptavit. I. F.

fefellit me tua facies. Sed quis isthuc narrat de Ulysse?

PAUL. - Homerus.

CLAU. - Oh, ille, ut aiunt, pater est omnium fabularum! Sed qui tandem agnitus a suis est?

PAUL. - E tuberculo, quod habebat in dito pedis: id animadvertisit nutrix iam admodum anus, dum illi pedes lavat.

CLAU. - O curiosam lamiam! Et tu miraris, si ego te agnovi ex isto tam insigni naso?

PAUL. - Nihil me poenitet huius nasi.

CLAU. - Nec est cur poeniteat, quum organum tibi sit ad res tam multas utile.

PAUL. - Ad quas?

CLAU. - Primum ad extinguedas lucernas erit cornu vice.

PAUL. - Perge.

CLAU. - Deinde si quid hauriendum erit e cavo profundiore, fuerit loco promiscidis.

PAUL. - Papae!

CLAU. - Si manus erunt occupatae, licet uti vice paxilli.²

PAUL. - Etiamne amplius?

CLAU. - Conducet excitando foculo, si defuerit follis.

PAUL. - Belle narras. Quid praeterea?

CLAU. - Si lumen officiat scribenti, praebet umbraculum.

PAUL. - Ha, ha, he! Est aliud quod dicas?

CLAU. - In bello navalium, praebebit usum harpagonis.

PAUL. - Quid in bello terrestri?

CLAU. - Erit loco clypei.

PAUL. - Quid deinde?

CLAU. - Findendis lignis erit cuneus.

PAUL. - Probe.

CLAU. - Si praeconem agas, erit tuba; si classicum canas, cornu; si fodias, ligo; si metas, falx; si naves, ancora; in popina fuerit fuscina; in piscando hamus.

² Paxillus proprie « parvus palus », hic fortasse pro « unco ».

PAUL. - O me felicem! Nesciebam me circumferre tam ad multa conducibilem supellecitem! Valebit ne etiam ad numeros procurandos, quibus omnino expers redivi?

CLAU. - Bono animo esto: hic pater supeditabit.

PAUL. - Nihil illo tenacius. Nec crediturus est denuo, quum intellexerit mihi soratem etiam periisse.

CLAU. - Verum ista lex est aleae.

PAUL. - Sed ille non delectatur hac alea.

CLAU. - Si pernegabit ille, commostrabo tibi, unde possis quantum voles pecuniae sumere.

PAUL. - Tu vero mihi voluptatem narras; age monstra: iam cor mihi salit.

CLAU. - In promptu est.

PAUL. - Nactus es thesaurum aliquem?

CLAU. - Si nactus essem, mihi nactus essem, non tibi.

PAUL. - Si queam corraderem mille scutata, revixerit spes.

CLAU. - At ego tibi commonstro, unde possis haurire centum scutatorum millia.

PAUL. - Quin tu igitur me beas? Ne diutius eneca. Dic, unde?

CLAU. - Ex asse Budaei.³ Illic reperias innumeratas myriades, sive auream malis monetam, sive argenteam.

PAUL. - Abi, quo dignus es, cum tuo ioco. Illinc tibi resolvam, quod debuero pecuniae.

CLAU. - Resolves, sed quod illinc tibi numeraro.

PAUL. - Age, novi ex parte mea nasum tuum.

CLAU. - At mihi prae te nasus est nullus.

PAUL. - Imo nihil te nasutius. Ludis in re seria. Hac in re ringi possim citius, quam ridere. (Res gravior est, quam ut ridere libeat. — Tu si hic esses, non luderes. — Sum tibi ludibrio. — Illudis mihi

³ Guilelmus Budaeus, Gallus, qui Erasmi tempore vivit, doctissimum librum de asse scripsit.

et illudis me. — Ioco me tractas in re neutriquam iocosa).

CLAU. - Minime rideo; id, quod res est, dico. (Non rideo quidem; imo rem ipsam dico. — Serio loquor. — Ex animo loquor. — Simpliciter loquor. — Vera loquor).

PAUL. - Ita tibi stet semper in capite pileum, ut ista tu simpliciter loqueris. Sed cesso abire domum, cogniturus, quo statu sint omnia.

CLAU. - Offendes nova permulta.

PAUL. - Credo; sed utinam omnia ex animi sententia.

CLAU. - Isthuc optare licet omnibus; sed hactenus obtigit paucis.

PAUL. - Hoc saltem commoditatis adferat peregrinatio mea, quod dulcior sit posthac domus.

HORAE SUBSECIVAE

SENEX ET PUER ITER FACIENTES

Iter dum faciunt Senex Puerque
Unusque est asinus, notatur alter,
Ire si finit alterum pedestrem:
Unum se Puer inspicit Senexque.
Neuter insilit, aut uterque asellum:
Idem flagitium duobus haeret:
Indulgent asino nimis, nihilve.
Quidquid nos facimus potest notari.
Late, si tibi displiceret, vel audi
Latrantes catulos velut Diana.

CUCURBITA

Arbor se erigit haec, et haec: iacere
Me natura iubet! dolet, catasque
Has cucurbita se erigit per artes.
Humi subdola serpit, implicaque
Quam primam videt arborem, suoque
Amplexu tenet, altiorque surgit.
Sensim denique vertice occupato,
Spernit hinc humiles superba plantas.
Surgit qui obsequiis, humique serpens,
Ut cucurbita surgit impudenter.

PASSERES

Torrentur face mutua, simulque
Semper sunt duo passeris, ut alter
Sit vita alterius lepor, voluptas.
Dum putant minus, aucupis latentes
Cadunt in laqueos, simulque eadem
Clauduntur cavea. Beatores
Coniunctos fore quisquis iudicasset;
At nihil minus accidit: repellunt
Quanto se studio prius petebant.
Sponte quod facimus, placetque factum
Si vi cogimur imperante, sordet.

CERVUS

Cervus, se vitream videns per undam,
Laudat cornua pulchra, despicique
Exiles, tenues, levesque suras.
Hic venator adest, canesque latrant,
Committit cito cruribus salutem.
Iam spissum dederat nemus, sed inter
Vepres cornibus implicatus haeret,
Praedamque inveniunt canes paratam.
Quam stulte sibi consulit, suisque
Qui pulchra utilibus putat priora!

A. CIAMPI.

Notitiae litterarum et artium

Urbanus Latinitatis Conventus

Die Urbis natali, apud Regium Institutum ad studia Romana provehenda, in Aventino, delecta Latinitatis doctorum manus convenit ad disceptandum de patrio centro constitudo, quod latini sermonis docendi meliores rationes atque vias indigit ac proponat iuxta scholae chartam, idest studiorum ordinem recens iussum.

Conventui ipse supremus Italicae iuventutis educationis moderator Iosephus Bottai praefuit, reique gerendae expositionem fecere clarissimi viri Laurentius Dalmasso atque Guido Rispoli, quorum alter de latinitatis scholae hodierna conditione in Italia disseruit, alter de Romana lingua iuxta scholae chartae spiritum, unde « centri »

suscipitur ductum ab eo qui dixit nebulam esse lanam expansam, quasi similiter debeat carminari.

CAMARINAM MOVERE

Est sibi ipsi malum accrescere. Unde natum sit adagium, Servius explicat, Vergilianum illum locum enarrans in tertio Aeneidos :

... Et satis nunquam concessa moveri
apparet Camarina procul.

Camarina, inquit, palus est iuxta oppidum eiusdem nominis, quae, quum olim siccata pestilentiam creasset, consuluerunt oraculum an penitus eam desiccare praestaret. Vetus deus Camarinam moveri. At illi exsiccarunt non obtemperantes oraculo, et cessavit quidem pestilentia, sed per eam ingressis hostibus poenas dedebunt neglecti oraculi.

NOCTUA VOLAT

Rebus felicius atque ex animi sententia succendentibus dici consuevit : Noctua volat. Graecanicum est adagium, a priscorum Atheniensium moribus sumptum. Nam illis noctuae volatus victoria symbolum aestimabatur, propterea quod avis haec Minervae sacra crederetur.

CALCAR CURRENTI ADDERE

Sententiam extulit Plinius, translatione sumpta ab equitibus, qui nonnunquam etiam sponte currentibus equis, quo currant celester, calcar addunt. Ita nobis calcar addit qui extimulat languentes; addit currentibus, qui cupiditatem et studium nostrum auget.

FOENUM IN CORNU HABERE

In homines maledicos ac feroce dicitur. Horatius :

Foenum habet in cornu : longe fuge.

Inde inductum videtur, quod antiquitus bobus cornipetis foenum pro signo in cornu appenderetur, quo sibi caverent, qui forte occurrisserent. Dictum est etiam, ut testatur

Plutarchus, in M. Crassum ipsum in cornu foenum habere, propterea quod haudquam impune lacesaretur homo praedives ac potens et simultatum consequentissimus. At postea Caesar dictus est ei foenum detraxisse, quod omnibus illum, ut cornipetam taurum fugientibus ac formidantibus ipse primus ausus fuerit illi resistere. Usurpavit adagium hoc Sanctus quoque Hieronymus in epistola quadam minitans iis, a quibus forte esset lacesendum.

MATURE FIAS SENEX

«Mature fias senex, si diu velis esse senex». Latinorum proverbium, quo monemur, ut integra adhuc aetate desistamus a laboribus juvenilibus ac valetudinis curam agere incipiamus, si velimus esse vivaci ac diurna senecta. Nam senectus sors otium et quies. — Usurpatur a Catone maiore apud Ciceronem : «Neque enim — inquit — unquam assensus sum veteri illi laudatoque proverbio, quod monet matre fieri senem, si diu senex esse velis».

LIBRI DONO ACCEPTI

JOSEPHUS WAGNER, *A Nemzetközi segédyelv problémája es a neo-latin mozgalom* (Edid. Stephaneum, Budapestini).

P. GIUSEPPE M. SANZ C. M. F., *Spagna martire* (Romae, apud auctorem).

MARIO BARBERA S. I., *La ratio studiorum e la parte quarta delle Costituzioni della Compagnia di Gesù*. Traduzione con introduzione e note (Patavii, Domus Edidit doct. Antonii Milani, MCMXXXII, ven. lib. 20).

A. C. DE ROMANIS, *Il P. Battista de «Le mie prigioni» di Silvio Pellico* (Romae, apud auctorem).

IMPRIMATUR:

† Fr. A. C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreocn.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.





VARIA

Ut laude digni sunt quicunque aut Regni aut Reipublicae alicuius iusta fundamenta ponunt, ita vicissim vituperandos esse qui institutunt tyrannidem.¹

Inter viros excellentes illustresque summa laude digni sunt, qui Religionis cultum constituerunt. Secundum locum tenent quicunque Reipublicae aut Regni alicuius fundamenta posuerunt. Tertium exercituum Duces, qui sua virtute vel suum ipsorum, vel patriae imperium auxerunt. Quartum locum obtinent viri litterati omnis generis, secundum studiorum diversitatem singuli sua laude celebrandi. Denique ex infinita reliquorum hominum multitudine, quibusque artis quam excent praestantia, aut longus usus aliquam nominis celebritatem comparavit. Excellentibus hisce atque illustribus viris ex adverso respondent obscuri, aut etiam infames, inter quos summopere vituperandi sunt Religionis contemnentes et corruptores, deinde qui Regna aut Respublicas destruxerunt; denique qui virtuti, litterarum studiis, ceteris ingenuis artibus, quae humano generi utiles honestaeque sunt, inimici fuerunt, in quorum numero sunt impii, seditiosi, ignorantes, inertes, desides, otiosi et inutiles. Et quamvis ita natura comparatum sit, ut ex universo hominum genere, nullus sit sive stultus, sive sapiens, sive bonus, sive malus, qui ex iam propositis binis excellentium atque obscurorum hominum differentiis, non laudet excellentes et obscuros vituperet, nihilominus tamen plerique, ne scio qua falsa boni specie, aut inani gloria decepti, relicto excellentium virorum ordine, ad eos descendunt, qui vituperii digni sunt; quumque in instituenda republica iis, magno cum honore atque gloria, vel

Regnum, vel liberam aliquam Reipublicae formam instituere liceret, tyrannidem efformant; nec animadverterunt interim quantam gloriam, honorem, tranquillitatem et quietem amittentes, in pericula, vituperia, infamiamque incurvant. Nec dubium est, quin omnes homines, quicunque vel privatam vitam degunt, aut quos fortuna principes fecit, siquidem historiae rerum antiquarum cognitionem haberent, non malint privati quidam in sua Republica Scipiones esse, quam Caesares, aut principes; Agesilai, Timoleontes ac Diones haberi potius, quam vel Nabides, vel Phalares aut Dionysii; quum cernere sit illos summa cum laude celebrari, hos vero summopere vituperari.

Iocosa

TUCCIU in schola.

MAGISTER : Quo nomine appellatur ille, qui de omnibus sine intermissione apud alios fatetur?

TUCCIU : Ludimagister!

Aenigmata

I

Produc vocalem! Sum nobilis insula Graia,
quam notam fecit marmore ducta Venus.
Corripe! Dulce poema iocosa Camoena creavit,
cantari suevit quod comitante lyrâ.

II

Thaericius princeps quondam sacra mystica Bac-
[chi]
turbabam: crimen proh! truce morte lui.
Nomen idem teneo: post saecula non ita multa
Spartanis leges mente sagace tuli.

III

Te tenet esuries? Dapibus te sponte iuvabo.
Signate me ditas? Sum tuus, histrio, amor.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) Lacerna, Laterna, Lucerna; 2) Insula; 3) Cacumen, Acumen; 4) Telum, Tela.

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit E. BINDI.*

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXLII est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solendum rectoque tramite mittendum sive ad IOSEPHUM FORNARI doct. Romam, Via di S. Maria dell'Anima, 39 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

DE NEGLECTAE LATINITATIS CAUSIS ET REMEDIIS

Quaestio nostra illa perinsignis non est, causa cuius nobilis quidam latini sermonis scriptor *de corrupta eloquentia* disceptavit; quaestio nostra humilior graviorque est; non agitur enim de corruptione, sed de negligencia latini sermonis.

Inficiandum non est quod latinus sermo apud nos Italos, quondam honor et gloria frontis, nostra aetate ab antiqua gloria defecrit: testis est ipse Italicae iuventutis educationi praepositus, qui vocem extollens periculum maioris damni notavit, atque ad remedia descendens apud Romanam studiorum regiam academiam peritisimos Italos latinitatis viros convocavit, ut remedia perscriberent. Ergo...: Hannibal ad portas!

Nos etiam qui in latino sermone tradendo pene vitam totam, heu! iam proiectam, absumpsimus, mentem nostram, nullo arctatam timore, aperiemus.

Res ab ovo aestimanda est. Numerum alumnorum in primis latinitatis scholas inspicientes, ultra mensuram iudicavimus; professor enim usque ad viginti alumnos operam effundens facile ad singulos descendere potest, eosque seu reprehendere, seu excitare, seu obiurgare; quum vero ad

triginta et ultra devenitur, singulos alumnos attingere non potest; unde fit ut tantum praestantissimi eum sequantur et in discendo proficiant.

Si vero de docentibus disceptatio erit, quod oculis vidimus, quod manibus contrectavimus aperte dicemus. Magna cum admiratione maerori commixta interdiu notavimus docentem ipsum in alumnorum exercitationibus castigandis incertum haesisse, neque semper passivum verbum a depONENTE secrevisse; praepositionem conditio-nalem cum dubitativa confusisse; neutrum vocabulum pro feminino, si de plurali res fuit, misere accepisse! Quod parato opus est, para, dici potest: unde tandem causa huius imperfectae institutionis? Quo evaserunt illa multa pericula, per quae ad docendum magister pervenit?

Causarum catena longa est, et cum primo annulo extremus coniungitur. Primus annulus ex rudimentis quaerendus est; quo enim semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu, et adulescens sive masculini, sive feminini sexus, male cum institutus fuerit ad cathedram usque servabit errorem. Extremus annulus in Universitate studiorum est. Ibi doctores humanitate praediti non desunt, sed hodie ad id extremum devenimus, ut ipsi doctores in doctrinae adeptae periculis ad indulgentiam cogantur, quae cum communi hominum

sensu pugnat. Exempla in aperto sunt; sed praeteribo, ne nimius accusator videar.

Impedimentum non minus grave, ut nobis videtur, ex ea lege procedit, quae unum vel alterum scriptorem in unaquaque classe continenter interpretare vetuit, quorum loco anthologiae proponuntur sexcentorum scriptorum exemplis refertae eorumque legendorum. Si puerulum, seposito materno lacte, multiplici ciborum ingluvie nutrias, quid erit? Verum est similitudines altero pede claudicare; sed id concedendo, nemo cordatus vetuerit lectionem paucorum bonorum scriptorum quin comparem cum materno lacte, lectionemque anthologiarum cum ciborum nimia gravique ingluvie. In unaquaque schola non multi, sed duo tantum scriptores, — soluta oratione unum, adstricta alterum, — legendos et perlegendos a vertice usque ad imum putamus; tali enim lectione facilius erit illud stylum sibi absorbere, quod ingenio ac facultati legentis aptius videatur. Postquam vero in inferioribus scholis unusquisque alumnus iter secundum sibi elegerit, tum aetate proiectior, anthologicas collectiones attinget, ut pluralitate exemplorum stylum suum dolet venustioremque reddat.

Silentio non omittam quam damnosa sit exigua docentium familiaris res; qui docet enim nullo modo potest ab opere suo utilitatem petere qua possit rem familiarem cum expensis compensare, stipendia quae facit semper eadem sunt, olera crescant seu decrescant in foro!

Credo insuper latinam compositionem magnae utilitatis esse posse, idemque huius exercitationis exempla quaedam certo ordine per singulas classes diligenter descripta proponi debere. Cum eadem, consuetudinem latine colloquendi sensim ac perdetempi coniungendam esse. In facultatibus litterarum compositionem latinam restituendam.

In eligendis autem scriptoribus aliquam libertatem magistris concedendam censeo;

ifaque italicos quoque scriptores, qui post renatas litteras latina lingua usi sunt, in scholas inducendos esse, ut aliquid a discipulis legatur et selecta nonnulla exempla inscriptionum iisdem legenda proponantur. Denique reverendo illi viro Primo Vanutelli toto animo assentior, qui voce et scriptis, ac magis exemplo docuit quam utile sit latinam linguam latine docere. «Linguā linguā discitur»; nam loquendo equidem promptius ac verius discipuli formas latini sermonis et regulas exsequuntur; ac facilis fit uniuscuiusque meritum iudicare et punctis notare. Expedit carmina in solutam orationem latinam convertere; expedit in scholis epistulas ad exteros adulescentes latine confidere, ad novum latinitatis iter muniendum.

Nec perperam; nos enim in Seminariis multis, ubi latinas litteras tradidimus, experimentum fecimus ac probavimus, quam bene haec consilia profecerint; bonoque iure ad nostra usque tempora in ecclesiastica administratione latinitatis magistri inveniuntur, qui Sartini, Turselli, Angelini, Tarozzi, Volpini laudem continuant, eamque perbelle augent.

E Farfensi coenobio.

A. AURELJ.

HISTORICAE NOTAE

Legis XII tabularum brevis expositio¹

De iure civili (Tab. IV-VIII)

Iuri familiae arcte connectuntur *tutelae* atque *curateliae*, quibus personis succurrunt in familia, et *hereditates* atque *successiones*, quibus familia in futurum veluti portenditur.

Incapacibus succurrunt tutela: incapacibus corporis tutela proprie dicta; incapacibus animo curatela, vel cura. Sunt veluti ex-

¹ Cfr. fasc. sup.

tensio patriae potestatis; serius ex potestate fiunt munus.

Tutela tuetur incapaces sui tuendi ob virium defectum; prisca enim tuitio haec erat: vim vi repellere; incapaces ex hoc capite sui tuendi habentur mulieres et impuberes.

Iure patris familias resoluto, mulier quae in eius manu est, sui juris fit; cuius tamen exercendi, tuendi, quum non habeatur capax omnino, in tutela agnati proximi constituitur (Tab. V, 1); Vestales vero ideo excipiuntur a tutela (ibid., 2), quia, quum in collegio sacerdotali sint, tuitionem iurium in eodem inveniunt.² Mulierum tutela magis in dies favore libertatis relaxata est; Gaii aetate iam est moritura; postea evanuit prorsus.

Impuberum tutela temporum progressu convaluit. Impuberes sunt qui pubertatem non attigerint: mares infra decimum quartum, foeminae infra duodecimum aetatis annum. Impuberum tutela in fragmentis XII tab. non indicatur expresse; supponitur tamen, ut coniicere possimus leges, quae de impuberum tutela iuberent, periisse.

Itaque tutela huc primum spectare videtur, ne familiae bona dissipentur, mortuo patre familias; non tam personis, quam familiae succurrit. Nam periculum erat ne, facti sui iuris, impuberes et mulieres bona familiae ad extraneos dissiparent, neve ea tueri valerent; ideo is cuia interest, scilicet heres ipse patris familias, fit tutor, defensor vi ac iure. Quapropter tutela in iure Quiritium est et vis et potestas; non dominium sed quasi dominium; siquidem pupillus vel pupilla, res mancipi alienare non potest, nisi tutore auctore, ideoque «mulieris quae in agnatorum tutela est, res mancipi usucapi non poterant»;³ pupill-

² GAIUS (1, 144-5): Veteres voluerunt foeminas, etiam si perfectae aetatis sint, propter animi lenitatem in tutela esse, exceptis virginibus Vestalibus, quas liberas esse voluerunt: itaque etiam lege XII tab. cautum est.

³ Tab. v, 2; GAIUS 2, 47.

la vero in manum convenire non potest, sine tutore auctore, quia conventione in manum omnia eius bona transeunt in bona viri; potest tamen nubere sine conventione in manum.

Exeunte Reipublica, et praesertim in Imperio tutela evolvitur; non iam potestas est, sed munus; non tam bonis servandis, quam pupillis tuendis.

In iure Quiritario tutor, origine, lege ipsa designatur, isque dictus est «tutor legitimus»: eligitur adgnatus, aut, eo deficiente, gentilis proximus (Tab. V, 4-5); is enim ad hereditatem pupilli lege ipsa vocatur, atque illius maxime interest, ut bona serventur.

Praeter tutorem legitimum, qui antiquior est, postea exstitit «tutor testamentarius»: testamento constituitur heres et tutor iam in lege XII tabularum;⁴ atque id animadvertisendum: in testamentum quilibet causa corruat, corruit et tutor testamentarius, et locus fit tutori legitimo. Deinde Praetor ipse certis in casibus tutorem dedit: hic appellatus est «tutor dativus»; quamquam non desunt qui «dativum» appellant ipsum tutorem testamentarium.

Tutor auctoritatem praestat; auget, supplet incapacitatem pupilli. Distinguenda in hac re est mulierum atque impuberum tutela.

Mulier sine tutore auctore non potest alienare res mancipi, nec agere in iudicio, nec civilia negotia gerere (uti adire hereditatem, stipulari, acceptilare). Auctoritatem autem tutor ita praestat impuberibus, qui infantia excesserint, ut «cooperetur pupillo»; ideo nihil gerere potest nisi pupillus adsit. Infantum vero, quum hi prorsus incapaces habeantur, tutor est non cooperator, sed ipse operator et negotiorum gestor, ac pupilli personam veluti absorbet. Quo in casu ipse stipulatur, creditor, debitor fit pro pupillo, qui ex parte sua fit

⁴ Tab. v, 3: «Uti legassit super pecunia tutelave sue ei, ita ius est».

debitor vel creditor tutoris. Exempli gratia: tutor pro pupillo mutuat ab aliquo summanum; tutor fit debitor mutuantis et creditor pupilli.

Egreditur e tutela mulier quae in manum convenerit; impubes pubes factus. Deficit tutor excusatione a suscepta tutela et remotione ob « crimen suspecti ».

* * *

In lege XII tab. constituitur quoque « curatio » prodigorum et minorum; dein pene infinitis incapacitatibus tutela succurrit.

Furiosi sunt qui in omnibus mente capti sunt; dementes qui in quibusdam: uterque lucida intervalla habere potest. Curator furioso succurrit (Tab. V, 7^a) negotiorum gestione; tamen in lucidis intervallis cura in suspenso est.

Prodigi sunt qui temere bona sua dissipant; aestimantur furiosi: eis curator item succurrit negotiorum gestione (Tab. V, 7 b, c); prodigi lucida intervalla in iure non habentur. Itaque prodigis primum bonorum administratio interdicitur, deinde datur curator. Porro etiam puberes minores annis viginti quinque in curatione constituuntur, sed post legem XII tabularum.

Curatoris consensus requiritur in quibusdam negotiis iuridicis; cura imitatur tutebam, cum eaque demum, sub ultimis imperatoribus, confusa est.

* * *

Heres, quasi herus, dominus, dicitur qui patri familias defuncto « in universum ius succedit »; itaque hereditas est successio in universum ius, quod defunctus habuit. Succedit heres primum in patriam potestatem, quam cetera iura sequuntur omnia, salvis exceptionibus; nam quae personam defuncti afficiunt, cum eodem moriuntur, ut usufructus, actiones vindictam spirantes, etc. Iuris hereditarii lex XII tab. germina continet, quae per ius praetorium amplissimam evolutionem nacta sunt

In lege XII tab. hereditas defertur aut testamento (Tab. V, 3), aut lege ipsa, deficiente testamento (Tab. V, 4 et 5); praefertur testamentum, quo sollemniter actor instituit heredem suum; inde bonorum possessio « secundum tabulas » (testamenti), vel « ab intestato ».

Testamentum est sollemnis actus quo quis saltem heredem instituit. Origine testamenta fiebant comitiis calatis, bis in anno, die vigesimatertia mensium Martii et Maii. Postea, sed ante legem XII tab., accessere testamenta « in procinctu », coram exercitu ad bellum profecturo. Utrumque sub finem Reipublicae iam obsoleverant. Magis viguit testamentum « per aes et libram », quod in iure Quiritario ita perficiebatur. Fingebatur scilicet mancipatio: actor fice vendit heredi suam familiam certis cautelis, coram quinque testibus et libripende. Accessere praeterea, sed multo recentius, testamenti aliae formae complures, quas si recensere velimus, in longum nimis trahatur oratio.

Ut rite fiant testamenta requiritur 1^o « capacitas testatoris »; 2^o « capacitas heredis »; 3^o legitima forma. Arcebantur mulieres, quae comitiorum non erant participes; surdi mutive, qui sollemnia verba nuncupare non possent; furiosi, prodigi, impuberis ob defectum voluntatis. Arcentur praeterea non cives, ii qui sui iuris non sunt, et poenae nomine « intestabiles ».

Heres incapax est, — nempe caret testamenti factiose passiva, — servus qui antea manumissus non fuisset, vel « incerta persona », ex gr.: « qui primus ad funus manus advenierit », et sim. Forma latina lingua ita esse debet: « Titius heres esto », « Titium heredem esse iubeo », non autem « heredem esse volo » aut absolute, aut sub condicione, die, modo, etc.

« Iniustum » dicitur testamentum, cui aliquid « essentiale » desit; « ruptum » si revocetur et suus heres supervenerit; « irritum » si testator capite minutus fuerit;

« inofficium » si factum contra pietatis officia; « desertum » si deficiat eo quod nullus ex eo heres existat. Irritum vero non fit testamentum ob captivitatem testatoris, sed suspenditur « iure postliminii »; sed quum irritum declaratum sit, non reviviscit. Contra, in inofficium testamentum data est post legem XII tab. « querela inofficii testamenti »; denique testamentum desertum dat locum successioni legitimae.

In qua quidem successione legitima distinguenda sunt: 1^o ordo (agnatorum, cognatorum); 2^o gradus intra eundem ordinem. Praeterea habetur « successio in capita », quum viritim « pro quota parte » singuli vocantur; « per stirpes », quum successores heredis praemortui pro una parte advocantur; ex. gr.: A pater, B et C filii, D et E nepotes ex C: hi, C praemortuo, una cum B in hereditatem defuncti A vocantur non viritim pro duobus, sed « per stirpem », pro una parte, ut eamdem simul sortiantur hereditatis partem, quam unus B.

Lex XII tab. (Tab. V, 4 et 5) hunc exhibet heredum ordinem:

« Si (pater familias) intestato moritur, cui suus heres nec escit agnatus proximus familiam habeo. — Si agnatus nec escit, gentiles familiam (habento).

« Sui heredes » sunt ii qui immediate sunt in potestate patris morientis: filius, filia, uxor in capita succedunt; nepotes neptes per stirpes.

Adgnati vocantur deficiente « suo herede »; proximi, vel proximus, et nulla distinctione sexus.

« Gentiles » postremo vocantur: num singuli, an tota simul gens, incertum.

Liberto, quum nulli adgnati nullave gens esset, succedebat patronus, vel eius descendentes agnati, vel demum gentiles (Tab. V, 8), ita ut libertus ex familia patroni egressus, in eamdem familiam redire videretur.

* * *

Heredes alii necessarii sunt, alii voluntarii.

Necessarii qui velint nolint flunt ipso iure heredes: hi sunt « heredes sui » et servi heredes constituti cum libertate. Ceteri omnes, extranei, voluntarii sunt, quippe heredes flunt si velint, si adeant hereditatem: antequam adeant, hereditas « iacet », eique datur curator. Voluntarii dari certum tempus decernendi, perpendendi rem, solebat: « tempus cretionis » dicebatur; adita autem hereditate, repudiari amplius non potest; pariterque semel repudiata adiri nequit. Hinc illud: « Semel heres, semper heres ».

Ex repudiata hereditate iuvantur coheredes « iure ad crescendi »; his deficientibus, alter ordo succedit. Praeterea heres legitimus, antequam adiret, poterat cedere hereditatem alteri, qui fiebat heres; quod si quis cessisset alteri hereditatem iam aditam, ipse, non hic, heres erat.

Inter plures heredes hercunda (dividenda) erat familia; ita tamen ut credita in portiones hereditarias distribuerentur; aes alienum hereditarium pro portionibus quae sitis singulis divideretur.⁵

(Ad proximum numerum).

SYLVIA ROMANI.

GEORGIUS BAGLIVUS

« Reipublicae medicae et litterariae lingua Romana esto » statuit Georgius Baglivus formam dicendi XII Tabularum imitatus. « Salve, Ragusia, pulcherrima et nobilis Dalmatiae urbs, caput olim Reipublicae liberae et praestantissimae ».

Hisce laudibus patriam suam extollit Georgius Baglivus, quum ipse fatetur se

⁵ DICCL., C. 2, 3, 26.

hic natum esse anno millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo, die octava septembris « oriente sole ». Evidem, inquam, oriente sole oriebatur et novum hoc Medicinae sidus!

Exstat Romae nosocomium toto orbe celeberrimum, quod Sancti Spiritus in Saxia nuncupatur. Adeuntibus patet aula ingens, locupletissime exornata, quam Sixtus IV P. M. quasi regium Christi pauperibus domicilium constituit; qua re iure meritoque Sixtina appellatur, atque eadem valde commoda exhibetur et apta aegrotis receptandis numero fere trecentis. Ad ministeria diligentius planiusque explenda aula divisa est in duas partes, alteram Georgio Baglivo dicatam, alteram Iohanni Mariae Lancisio — restitutoribus, immo potius luminaribus medicae tum doctrinae, tum artis — quorum prothomes ex vivo expressae atria nosocomii decorant.

Neque silentio praetermittam geminas vias, ipsorum nomina referentes, quibus est iter sive ad Polyclinicum, sive ad Civitatem, quam dicunt, studiorum. En quantum et quomodo una gloria, unum decus amplectitur foveatque celeberrimos Viros, qui aetate aequales, eadem instituta, studia, disciplinas doce, strenue, impigre persequentes, in Romano Athenaeo simul claruere.

Naturam scrutatur Lancisius vim ingenii coercens strictius et arctius; latius et iucundius prosilit Baglivus et per universam Medicinam spatiatur, suasque lucubrationes colligit per aphorismata, Hippocratis more. Iure igitur Baglivus Hippocrates romanus appellatur.

Italia Baglivo fuit altera patria. Ipse enarrat: « Lycium, clarissima et nobilis urbs Apuliae, a pueritia mea in suo sinu fovi et aluit, eique omnia mea debo ». Addere autem mihi liceat Neapolitanum Athenaeum redimivisse illum doctoralis laurea, Patavium et Bononiam uberioribus fontibus doctrinam eius auxisse; Romam

denique honorum culmen superaddidisse palmamque nobilem.

Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, vicesimoquinto fere aetatis suae, Baglivus Romam petit, a Marcello Malpighio, tamquam patre, domi exceptus. Praefulgens ille omnis generis scientia Magister, qui Archiatri Pontificis Maximi munere fungebatur, consuetudinem et familiaritatem illustrium virorum discipulo perdilecto comparavit stravitque viam ad nosocomia Urbis frequentanda.

Rem bene actam, dignamque et animo et mente tanti Viri!

Ast, proh hominum nequitiam! proh insolentem ac invidam alienae laudis obtrectationem!

Sunt eruntque semper id generis homines, quos praeminentia et virtus sodalium urit, angit, excruciat. Istorum improborum insectationes, subdola verba et odia Baglivo non pepercerunt.

Taedio fastidioque affectus ipse iam iam animo volvit in patriam redire. At Innocentius XII P. M., qui plurimi Baglivum existimabat, a proposito detinere blandis et paternis sermonibus contendit; dein eum hortatur, ut periculum sustineat quo eligi soleant lectores anatomicae scientiae in Romano Athenaeo, iussa quoque addens, ut negotium huius electionis libere ac incorrupte peragatur, absque ulla gratia ulloque favore.

Ad certamen duodecim aemuli Baglivi adveniunt: studio ac doctrina excellunt, laudantur omnes; at Baglivus praeminet. Baglivus plenis suffragiis ad cathedram evehit. Neque mora: ipse suum magisterium incipit maxima cum auditorum frequentia et plausu. Nosocomia Urbis praebeat ei copiosa argumenta investigationis atque experientiae, sive in aegrotis, sive in cadaveribus, sive in animantibus.

Magis ac magis instant quotidie onera et labores medicae praxeos, quae ei quandoque totius diei spatium complent. Vir

impiger aequa docens ab aulis divitum ad infimae plebis cubilia discurrit, aegrotis invigilat, uniuscuiusque morbi historiam diligenter adnotat: idque flagranti studio medendi ac morborum naturam legesque inquirendi.

Interea in lucem prodeunt libri, Baglivi celebritatem per orbem mox propagatur, iidemque latino idiomate perpolite et pereleganter conscripti, poetarumque modulatione haud raro adhibita, ut doctrinae rigor argumentorumque durities suaviter moliantur. Optima sane ratio!

Arcana quoque Romani caeli Baglivus conatus est physice detegere; quapropter plurimas barometricas investigationes pergit inter summa collum et ima vallium. In arce Vaticana turris vetustissima a Pontefice Maximo adhibita ad astra perspicienda, tabulam marmoream praebet, in qua Baglivi inquisitiones memorantur.

Neque satis ei fuit pervestigare naturam sub divo. Ut lapidum differentias penitus cognoscere posset, lustratis musaeis et innumeris officinis lapicidarum Urbis, descendit in latomias.

Medicinae rerumque omnium naturalium investigator indefessus, tamen non se abstinuit a quotidianis civitatis rebus adnotandis. Eius libros perlegentibus mira patet eventuum series, de romana vita diligenter ab ipso prolata.

Apud Romanos medicos cultus severus antiquitatis nunquam defuit; complures enim ex eorum coetu, lucubrationes de archaeologia diserte scripsere.

Hanc etiam disciplinam peramavit Baglivus, cui quam maxime cordi fuit archaeologicas notiones effundere in libros, tamquam gemmas, in solatium studiosorum et oblectamentum. Similiter horis dumtaxat subsecivis, animique relaxandi gratia, adibat ipse Romanas academias, ubi poëtici ludi ingenuaque certamina agebantur.

Italiam, in qua doctrinae latices hausit, prae omnibus gentibus admiratione et sum-

mis laudibus exaltat. Ad significandam gratissimi animi reverentiam exclamat: « Quantum aliis praeesse summo iure debet Itala Tellus, armis et litteris florentissima, cuiusque ingentem famam felicitate ac fortuna suorum partam, universae Terrarum Orbis Civitates aequare nunquam aut minuere potuerunt... Quum ea ad mentem revoco quae in homine vel aliis corporibus comperta sunt, facile in eam adducor sententiam: Italos nempe magna ex parte illa propriis ingenii viribus adinvenisse atque illustrasse ».

Immaturissima mors, heu! illum rapuit in mediis muneribus atque honoribus. Sacramentis Catholicae Fidei refectus Spiritum Deo reddidit, Vir religiosissimus, anno millesimo septingentesimo septimo, tricesimo nono suea aetatis, die decimaquinta iunii. Utinam eius exuviae, in ecclesia S. Marcelli de Urbe, non longe a Foro Italico conditae, ex oblivione, uti par est, vindicentur dignorem in locum!

ALEXANDER CANEZZA
Doctor Medicus.

LATINAE ADNOTATIUNCULAE

Carus - Iucundus - Suavis

Tribus his vocibus nulla differentia substantiali utuntur Latini, quum quempiam valde a te amari designant; praeterquam quod « suavis » interdum lenem et singularem morum facilitate praeditum significat. Habe etiam « iucundum » et « carum » fere semper coniungi et inter se cohaerere. Exempla:

CICERO (Fam. I): Existimesque neminem cuipiam neque cariorem neque iucundiorem unquam fuisse, quam te mihi.

ID. (Fam. II): Illud profecto cognosces, mihi te neque cariorem neque iucundiorem esse quemquam.

Ibid. : Me certe habebis, cui carus aequasis, et periucundus, ac fuisti patri.

Ibid. : Quoniam privatis, summis infimis fueram iucundus.

Ibid. : Ego filio meo, quem tibi carum esse gaudeo, si ulla erit Respublica, satis amplum patrimonium relinquam, memoriam nominis mei.

ID. (*Fam. III*) : Tua dignitas atque amplitudo mihi est ipsa cara per se.

Ibid. : Sic enim tibi persuade, carissimum te mihi esse, cum propter multas suavitates ingenii, officii, humanitatis tuae, tum quod ex litteris tuis, et ex multorum sermonibus intelligo, omnia, quae a me profecta sunt in te, tibi accidisse gratis-sima.

Ibid. : Quumque praeter hanc coniunctionem affinitatis, quam sis Cn. Pompeio carus, quamque iucundus, intelligam...

Ibid. : Quibus plurimum significare potuero, tuam mihi existimationem et dignitatem carissimam esse.

ID. (*Fam. IV*) : Quae hominibus non minus cara esse debent, quam liberi.

Ibid. : Qui illi iucundissimi sunt.

ID. (*Fam. V*) : Mihi dubium nunquam fuit, quin tibi essem carissimus.

ID. (*Fam. VII*) : Facile perspexi ex tuis litteris, quod semper studui, et me a te plurimum fieri, et te intelligere quam mihi carus esses.

Ibid. : Quae non solum suis erga me, sed etiam meis erga te beneficiis erat mihi carior.

ID. (*Fam. VIII*) : Quare si tibi tu, si filius unicus, si domus, si spes tuae reliquae tibi carae sunt...

ID. (*Ad Attic.*) : Sic habeas : nihil mehercule te mihi nec carius esse, nec iucundius.

FORFEX.

Iustum est homines propter iustitiam diligere, non autem propter homines iustitiam postponere.

S. GREGORIUS.

DE M. TULLIO CICERONE ORATORUM ROMANORUM PRINCIPE¹

Cesserat M. Tullius sub adventum triumvirum urbe, certus non magis se eripi Antonio, quam Brutum et Cassium Caesari posse. Et principio quidem profugerat in Tusculanum, inde transversis itineribus petiti Formianum, ut a Caieta maritimo itinere contendenter ad Brutum. Non semel provectus in altum, quum modo adversis ventis esset impeditus, modo iactationem navis caeco volente fluctu pati non posset, taedio captus et fugae et vitae, ad superiorem villam, quae paulo plus mille passibus a mari aberat regreditur et: « Moriar, — inquit, — in patria saepe servata ».

Plutarchus rem sic complectitur. Erat Cicero in Tusculano cum Quinto fratre. Cognita proscriptione, Asturam, in maritimum Marci fundum proficisci, inde in Macedoniam ad M. Brutum, de cuius victoria laeti rumores afferebantur, transire constituerunt. Ferebantur lecticis confecti moerore atque in itinere subsistentes iunctis lecticis casum suum inter se deplorabant. Magis angebatur animo Quintus, cui in mentem venit inopiae, quod nihil secum domo extulisset, et Marcus perexiguum habebat viaticum. Itaque Quintus dicebat satius esse antecedere fuga Marcum, se redire domum convasatum. Probato consilio multis cum lacrimis inter se complexi digressi sunt. Quintus non multis diebus post a servis proditus inquisitoribus una cum filio interfectus est.

De caede eorum Appianus habet haec: Q. Cicero cum filio comprehensus percussores orabat, ut se ante filium necarent. Quod quum filius contra fieri obsecraret, illi se eorum controversiam componere velle dicunt; eodem dato signo ambos simul trucidant. — Dio: Q. Ciceronem filius

¹ Cfr. fas. sup.

de medio removit et quantum in ipso erat servavit. Nam et patrem occultavit, ut inveniri non posset, et ea de causa tormentis excruciatuſ indicium nullum fecit. Sed parter, re intellecta, cum admiratione tum misericordia filii adductus ultro prodiit, se que ipse percussoribus tradidit.

Marcus — auctore Plutarcho — Asturam delatus et navem nactus Circaeum usque vento pervenit. Inde solvere gubernatores quum pararent, vel maris metu permotus, vel nondum plane desperans fidem Caesaris in terram egreditur, et millia passuum tredecim pedibus Romam versus progressus pendere animi coepit, et mutata sententia ad mare revertit. Hic noctem gravibus et incertis cogitationibus traduxit, adeo ut illi subiret clam ingredi domum Caesaris et ante lares eius sibi inferre manus furiales illi impingens intemperias. Sed metu cruciatus ea ratione depulsus, alia tumultuosa consilia concipit. Servis se deportandum Caietam navigio commisit, nam ibi praedia habebat et blandum aestate et etesiарum diebus perfugium. Est ibidem supra mare sacellum Apollinis, unde corvi cum clangore ad Ciceronis navem, quae ad litus appellebatur, confertim advolarunt, atque ex ultraque parte antennae insidentes partim crocicabant, partim rudentum capita tutuderunt rostris, quod signum omnibus infaustum visum est. Cicero tamen egressus in villam se recepit deditque quieti. Ibi corvorum magna pars tristi voce ad fenestram assedit, unus devolat in lectum et rostro vestem, qua Cicero tegebatur, paulatim ab ore eius removit. De sinistro omni habet etiam Valerius (I, 4): « M. Ciceroni mors imminens auspicio predicta est: quum enim in villa Caietana esset, corvus in conspectu eius horologii ferrum loco motum excussit, et protinus ad ipsum tetendit, ac laciniam togae eo usque morsu tenuit, donec servus ad occidendum eum milites venisse nuntiaret ». Pergit autem

Plutarchus: « Servi haec adspicientes suam ipsi ignaviam damnarunt, si herilis caedis spectatores essent, si bestias domino opem ferre ac pro indigno casu eius sollicitas videntes ipsi non defenderent. Itaque partim precibus, partim vi impositum lecticae ad mare deferunt. Interim superveniunt cum ministris percussores, Herennius centurio et Popilius tribunus militum, quem parricidii reum Cicero olim defenserat ».

Et de Popilio Valerius haec scripsit (V, 3): « M. Cicero C. Popilium Laenatem Picenae regionis, rogatu M. Caelii non minore cura quam eloquentia defendit, eumque causa admodum dubia fluctuantem salvum ad penates suos remisit. Hic Popilius postea, nec re nec verbo a Cicerone laesus, ultro M. Antonium rogavit, ut ad illum proscriptum persequendum et iugulandum mitteretur; impetratisque detestabilis ministerii partibus, gaudio exultans Caietam cucurrit et virum, omitto quod amplissimae dignitatis, certe salubri studio praestantis officii privatim sibi venerandum, iugulum praebere iussit: ac protinus caput Romanae eloquentiae, et pacis clarissimam dexteram per summum et securum otium amputavit, eaque sarcina, tamquam opimis spoliis, alacer in urbem reversus est. Neque ei scelestum portanti onus succurrit illud se caput ferre, quod pro capite eius quondam peroraverat ».

« Percussores, — inquit Plutarchus, — quum fores clausas invenissent, effrege- runt: et quum Cicero non appareret, et qui intus erant scire se ubi esset negarent, aiunt adolescentem quandam a Cicerone in bonis litteris et disciplinis educatum, Quinti fratris libertum, Philologum nomine, tribuno dixisse lectica eum per silvestres et opacas ambulationes deferri ad mare. Cum paucis tribunus circum ambulationes ad exitum cucurrit, Herennius recta per easdem accurrit. Quod ubi Cicero animadvertisit, servos ibi lecticam iussit deponere ».

Livius addit: « Satis constat servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum; ipsum deponi lecticam et quietos pati quod iniqua sors cogeret, iussisse ». Et Appianus scribit multos discurrisse quae- rentes, num alicubi Cicero visus esset. Quumque alii benevolentia et misericordia moti eum in alto esse dicerent, clientem Clodii, Ciceroni inimicissimi, Popilio Lae- nati tribuno militum indicasse viam, qua deportabatur lectica, eo illum irrupisse et, quum servos longe plures quam ipse secum habebat ad dimicandum paratos vidisset, callide exclamasse: Tribuni qui in extremo agmine sunt, ingrediantur. Sic servos Ciceronis maiorem exspectantes multitudinem, perterritos nihil ausos esse.

Plutarchus: « Cicero mentum, ita ut consueverat, tangens in percussoribus oculos constanter figit, squaloris plenus, capillo demisso, macie ob sollicitudines confectus, ut plurimi, Herennio eum iugulan- te, capita obnubarent. Occisus est praebens cervicem extra lecticam, quum annum iam LXIV ageret. Praecidit illi caput iussu Antonii et manus, quibus scripsisset Philippicas ». Appianus: « Occiso Cicerone, quidam equis, alii navigis incitatis prope- rabant perferre nuntium Antonio, cui in foro sedenti Laenas caput et manus eminus ostendit. Quo ille maxime laetus, tribu- num militum coronavit magnumque dedit praemium ».

Plutarchus: Quum membra Ciceronis Romam perlata essent, Antonius, qui tum forte comitia habebat, exclamavit: proscrip- tionem iam peractam esse. Caput autem et manus pro rostris poni iussit, spectacu- lum horrendum Romanis, qui se non tam vultum Ciceronis, quam imaginem animi Antonii videre putabant. — Dio:² Ubi Ci- ceronis caput allatum fuit, Antonius multis et gravibus probris illatis, illud pro rostris, loco prae aliis conspicuo, poni iussit, ut

unde verba in se faciens auditus esset, caput eius et manus conspiceretur. Fulvia vero, Antonii uxor, caput, antequam aufer- retur, in manus sumpsit, atque atrocibus verbis illudens et conspuens genibus suis imposuit, et linguam ex ore extractam acu- bus, quibus ad capitum ornatum utebatur, compunxit, additis multis et exsecrandis opprobiis ».

Est apud Livium: « Ita relatum caput ad Antonium, iussuque eius inter duas manus in rostris positum, ubi ille consul, ubi saepe consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium, quanta nulla unquam humana vox, cum admiratione eloquentiae auditus fuerat: vix attollentes lacrymis oculos homines intueri trucida membra eius poter- rant ».

Et Cremitius Cordus: « Praecipue tam- men solvit pectora omnium in lacrymas gemitusque visa ad caput eius delegata dextera, divinae eloquentiae ministra: ce- terorumque caedes privatos luctus excita- verunt, illa una communem ».

Ciceronis mortem versibus deploravit Cornelius Severus in quibus etiam hi sunt:

Abstulit una dies aevi decus, iactaque luctu Conticuit Latiae tristis facundia linguae,
Unica sollicitis quandam tutela, salusque.
Egregium semper patriae caput: ille senatus
Vindex, ille fori, legum, ritusque togaeque.
Publica vox saevis aeternum obmutuit armis.
Informes vultus, sparsamque cruento nefando
Canitiem sacrasque manus operumque ministras
Tantorum, pedibus civis projecta superbis
Proculeavit ovans, nec lubrica fata deosque
Respexit: nullo luet hoc Antonius aeo.

Et Paterculus post narratam caudem M. Tullii (cap. 66) in haec erumpit ver- ba: « Nihil tamen egisti, M. Antoni, mer- cedem caelestissimi oris et clarissimi capi- tis abscissi numerando, auctoramentoque funebri ad conservatoris quandam rei pu- blicae tantique consulis irritando necem. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem sollicitam et aetatem senilem, et vitam miseriorem te

principe, quam sub te triumviro mortem: famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vivit, vivetque per omnium saeculorum memoriam, dumque hoc vel sorte, vel pro- videntia, vel utcumque constitutum rerum naturae corpus, quod ille paene solus Ro- manorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, manebit inco- lume, comitem aevi sui laudem Ciceronis trahet, omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum ex- erabatur, citiusque in mundo genus homi- num, quam huius nomen cadet ».

Cicero mortuus est VII Idus Decembr. anni a. C. 43, teste Tirone, Tullii liberti, natus annos LXIII, menses XI, dies V.

Quum anno Christi 1544, kal. dec. An- gelus Apulus Minorita in insula Zacyntho apud sacellum B. Mariae Gratiosae non longe ab litore maris fundamenta ageret coenobii, antiquissimum repperit sepul- crum, ubi scriptum erat M. TULLI CICE- RO HAVE. ET TU TEPTIA ANTΩNIA. In eodem sepulcro inventae sunt duae urnae vitreae, una, maior, cinerum, in cuius fundo est AVE MAR TUL. Hoc monumentum Ciceronis putatur esse: Ci- ciceronis cineres a servis eius delatos esse in illam insulam videri. Sed quia alii dicunt non longe extra Caietam Ciceronis Arpi- natis cineres servari, nihil certi ea de re statui potest.

ANDREAS HABERL.

Indoctum esse minus malum est, quam esse indocibilem.

S. AUGUSTINUS.

Ab omnibus libenter disce quod nescis, quia humilitas tibi facere potest quod natura fecit commune.

S. AUGUSTINUS.

Quoties de nobis aut dicimus aut loquimur, toties de nobis iudicatur.

CICERO, *De orat. I.*

CERTAMINA POËTICA

De certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXLI ab Academia Regia Disciplina- rum Nederlandica relata sunt quae se- quuntur :

« De carminibus undeviginti ita est iudi- catum :

Praemium aureum reportavit Carmen c. t. *Dismas*.

Sequuntur omnium carminum nomina :

1. *Horae*; 2. *Puerorum lusus*; 3. *Da pacem, Domine!*; 4. *In festum consecrationis Templi Votivi*; 5. *Dismas*; 6. *Miles ignotus*; 7. *Amor et dolor*; 8. *Dulcis discrimina cantus*; 9. *Nascitur Christus, sa- nat, praedicat*; 10. *Ad luscinae cantum*; 11. *Musarum sacerdos*; 12. *Prope fontem Bandusiae*; 13. *Hymnus in Dantem Ali- gherium*; 14. *Da Pacem, Domine!*; 15. *Ma- ran Ata! Exordia fidei*; 16. *De liberali Sa- moanorum ingenio*; 17. *Fama*; 18. *Mori- turi*; 19. *Teresa*.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta ver- sibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kal. Ian. A. MCMXLIII mittantur ad « het Bestuur der Nederland- sche Akademie van Wetenschappen, Trip- penhuis, Amsterdam », munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ce- terum iudicibus gratum erit, si poëtae in transcribendo portabile prelum britannicum (type-writer) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigni- verint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen pree- mio ornatum sumptibus ex Legato faciendis typis describetur eique subiungetur alte- rum laude ornatum, si scidulae aperiendae

² Lib. XLVII.

venia dabatur. Id autem ante Kal. Iul. proximas fieri debet.

Exitus certaminis postremum in conventu Ordinis mense Aprili MCMXLIII pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, die 10 m. Maii a. MCMXLII.

C. W. VOLGRAFF
Ord. lit. acad. Nederl. ab actis vicarius».

His diebus exitus quoque publici iuris factus est certaminis poëtici Ruspantini apud Studium Urbis d. xxx mens. Decembr. MCMXL indicti. Carmina triginta quinque iudicio subiecta fuerant, unanimique sententia praemio dignum habitum est carmen, cui titulus: *Sirpus chartarius*, cuiusque auctor inventus est VICTORIUS GENOVESI S. I. Proxime accessit Iosephus Morabito carmine *Quinquennius*, laudataque praeterea fuere carmina *In tenui labor Tullii Tortoli, Nihil patrio solo mihi carius Dominici Migliazza, Pro patria labor Dorae Pesa, Et mare carmen habet Vincentii Polidori.*

ALMA ROMA clarissimis sociis suis Iosepho Morabito et Vincentio Polidori ex animo gratulatur; ac maxime r. p. Victorio Genovesi, qui iterum certaminis palam tulit, recensque insigni alio, et hoc perpetuo, honore iure meritoque ornatus est: Summus enim Pontifex Pius XII eum hymnographum Sacrorum Rituum Congregationis elegit. Euge!

De nimio accurato vestium et faciei comaeque ornamento quarundam mulierum nostrae aetatis

Mulieres, et praesertim puellas aevi nostri, tot de causis merito celebris, nimium concinnatas esse et fucatas nemo est qui non videat: et haud raro Supremus Ecclesiae Moderator, nec non Antistites, asper-

rimis verbis, in tantum dedecus invexerunt.

Si sacrum illud volumen in quo verbum Dei traditum est, quodque Biblia nuncupatur, paulisper perspiciamus, duo memoria foeminarum specimina nobis sese praefuerunt.

Silentio, enim, praetereundum non est elogium quo Salomon, cunctorum mortaliū sapientissimus, ornat mulierem formē, pudicam, frugi, castam, quae rem familiarem scite administrat, quaeque noctu quoque, surgit ut cibum det domesticis et ancillis suis (*Prov.*, 31, 6); at contra, quam dispar imago illius mulierculae, quae, impatiens domi consistere ad quietum lanae acusque laborem, prosilit in viam ut verbis mellifluis, tumens luxuria, castos adolescentulos allicit ad sordida cupidinis oblectamenta.

Huic mulierculae comparandae, mea quidem sententia, illae foeminae, quarum numerus, proh dolor, augescit in diem, quae erecta cervice, erecto pectore, partim nudo, partim amictu luxurians, erectis poplitibus et cruribus, sericis ac subtilibus tibialibus ita opertis, ut persaepe carnis color perspiciatur, per vias et plateas urbis incedunt, alta voce clamantes, atque lumina huc illuc procaciter vagantes. In illis videres caesariem nimia cura, nimia molitie demulsam; in illis genas et labellos rubrica delibutos, in illis ungulas rubro colore illinitas; in illis oculos qui, ut grandiores et venustiores apparent, lapillo nigro tinguntur.

Ad maius autem sententiae meae firmamentum hic adiungo, tristissimum et valde abominandum esse aliquot istarum eo impudentiae devenisse, ut, posthabitum, ne dicam profligatis religionis sensibus, aedes quoque sacras haud vereantur ingredi; quin etiam ad sacram Synaxim, absque capitum velamine accedere, a qua Sacerdotes, confidentes Sacrificium, aliquando eas demovere conentur.

Quid autem dicendum de illis foeminiis quae, ingravescens aetatis penitus oblitae, simul ac albicanem comam cernunt, beneficis medicamentis, prope apothecarios magno sumptu coemptis, in eo sunt totae, ut crines modo nigrescentes velut corvi alas, modo flavescentes ut maturas aristas efficiant?

Sunt, aedopol, istae, ni opinio me fallit, tanta dementia captae, ut victae catenis, in fatuorum hospitium, per totam vitam essent obserandas...

Orandum igitur, enixe, ut errantium mentes resipiscant: atque priscarum sanctarum foeminarum exemplo edoctae italicae mulieres, quibus, ut Leopardianis verbis utar, fortitudo et robur Patriae innititur, sibi persuadeant veram genuinamque formam et pulchritudinem haud in fucu vel in habitu lascivienti esse repostam; at potius in ea virtute ac modestia, quibus primi aevi christiana mulieres, ut Agnes, Agatha, Melania, Paula, inclarerunt; ob quas virtutes, ab omnibus cordatis viris, nostro quoque tempore, eximiis laudum praedicationibus, dignae esse videntur.

Florentiae.

EUGENIUS CAPPELLI.

COMMUNIAE VITAE

DE PRIVATIS LUDIS ANTIQUIS ET RECENTIORIBUS

Ludi, ut inter omnes constat, alii fuere publici, qui in publico ederentur; alii privati, quibus domi luderetur. Ludi publici in Graecia Olympici, Pythii, Nemaei, Isthmici; Romae scenici, gladiatori, circenses, venationes. Nos hic de privatis agemus, maximeque de iis, qui Romae in usu fuere et vulgo adhuc exstant. Atque primum de ludo *trochi* ac *turbinis*.

« Trochum » plures eumdem esse putarunt quam « turbinem », quem pueri fla-

gello in porticibus agitabant, dicebantque: « Agito turbinem, qui tuis viribus resonat ». Tibullus (lib. V, egl. 5):

Namque agor, ut per plana citus sola verbere [turbo,
Quem celer assueta versat ab arce puer.

Persius:

Neu quis callidior buxum torquere flagello.

Alius tamen a turbine trochus fuit. Erat enim trochus circulus aeneus magnus, cui annuli multi inserti erant, ut strepitu obvii trocho cederent de via. Ansa apprehensus in longum mittebatur, volutabaturque cum strepientibus annulis.

Vetus Glossa: « Trochus rotæ genus ad ludum — Trochus ludentum rota ».

Martialis (lib. II):

Tam laxus, quam celer, arguto qui sonat aere [trochus.
Inducenda rota est; das nobis utile munus,
Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.¹

Idem (lib. XIV, ep. 154):

Garrulus in laxe cur annulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba trochis.

Ovidius (lib. III A. A.):

Sunt illis celeresque pilae, iaculumque, trochi-
que.

Horatius (*De arte poëtica*):

Indoctusque pilae, discive, trochie quiescit.

Idem (lib. III, carm. 14) ludum Graecum vocat:

Venarique timet ludere doctior,
Seu Graeco iubeas trocho,
Seu malis vetita legibus alea.

Propertius (lib. III, eleg. 14) ansam, qua trochus apprehendebatur, « clavem aduncam » vocat:

Quum pila veloces fallit per brachia iactus,
Increpat et versi clavis adunca trochi.

¹ Proprie « canthus » est ferrum ambiens curvatum rotæ

S. Basilus (Homil. V in Exaëmer.): Trochi — inquit — accepto primo ictu, circumaguntur, cum defixa cuspide in seipsis circumaguntur. Vincit is, cuius trochus ictus diutius volvitur.

Diximus alios fuisse turbines, quorum inferior cuspis in eodem loco non circumageretur, sed scutica agitati vagarentur. Vergilius (*Aeneid.*, VII):

Ceu quondam torto volitans sub vespere turbo
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent; ille actus habena
Curvatis fertur spatiis. Vocat volubile buxum.

Trochus permanet adhuc, quamvis vulgo sine parvulis annulis qui, dum iaceretur, tinnitum et sonum reddebat: rota est scilicet, quam currendo pueri virga regunt. Turbo etiamnunc in antiquo genere perstat: lignum nempe forma metae inversae, ima sui parte in acutum desinens, in summo latius, quod a pueris scutica vel subtili funiculo, prius circa instrumentum involuto ac deinde ingeniosa avulsione retracto, circumagit.

Trochum Itali *cerchio*, turbinem *trottola* appellamus.

Ludus materum, seu *lapillorum*. — Hodie pueri apud nos ludum quoque maternum usurpant, in quo quatuor lineae quadratae foris, quatuor alias lineas includunt, quae media linea quasi diametro secantur, et tres unus ex collusoribus bacilos, vel lapillos, totidem aliis variis locis collocant, et id studiose agunt, ut tres bacilos vel lapillos suos eadem linea continuent. Meminit ludi huius Ovidius (*Trist.*, eleg. 2):

Parva sedet ternis instructa tabella lapillis,
In qua viciisse est continuasse suos.

Et in lib. III *Metam.*:

Parva tabella capit ternos utrinque lapillos.
In qua viciisse est continuasse suos.

« *Materes* » vocabantur baculi, auctore Nonio; « *materis* » vel « *mataris* » vel

« *matara* » proprie Celticum lanceae genus appellatum est, quod a Gallis deinde sua lingua *matras* vocatum, Italicae *picca*, *bolzone* respondere videtur.

Huiusmodi ludi genus pueri nostri *fili*, *filetto* nuncupant.

Ludus Capitis aut Naviae. — Vulgaris et hodie lusus est a Romanis et Graecis arcessitus; appellatus ita est, quia olim in nummis ratitis caput erat Iani ex uno latere, ex altero navis. Macrobius (*Saturn.*, I, cap. 7): « In aleae lusu quem pueri danarios in sublime iactantes capita aut naviam exclamant ».

Eius ludi meminit quoque S. Augustinus. Italici pueri ludum vulgo dicunt *testa o arme, palla o santo, santo o cappelletto* iuxta nummorum imagines.

Ludus paris aut imparis, seu *Artiasmus*. — Hodie et hic ludus apud pueros frequens est (vulgo in Italia: *pari e dispari*); de quo Horatius (*Sat.*, lib. II, 3):

Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Et Ovidius:

Est etiam par sit numerus qui dicat, an impar
Ut divinatas auferat augur opes.

Svetonius (in Aug., cap. 70): « Misi tibi denarios ducentos quinquaginta, quot singulis convivis dederam, si vellent inter se post coenam vel talis, vel par impar ludere ».

Plato ipse in *Lyside* ludum hunc memorat nomine *ἀρτιασμόν* dicitque fieri aut nummis, aut nucibus, aut fabis. Meminitque etiam Aristoteles (lib. III, *Rhetor.*): « Vox artiazein in talis pluribus manu comprehensis divinationem habuit parium et imparium »; idipsum factitatum in fabis, nucibus, amygdalis, et argento: « Servi stateribus manu inclusis par impar ludimus ».

Aristophanes (*ad Plut.*) haec, quae latine ferimus: « Quum aliquis pugno incluserit nuces, extenta manu dicit, quot latent nuces hic. Si quis rogatus est numerum divinavit, lucratur id quod erat in manu, si aberraverit, tantundem de suo exsolvit.

Chrysostomus (*De consultando*): « Qui par impar ludunt sciunt eos a quibus provocantur manu rem continere, numerum nesciunt, interdum divinant et vincunt.²

De oscillatione. — Vergilius:

Oscilla ex alta suspendunt mollia queru.

Graeci *αιώπας* oscillationes has appellabant; nos *altalena*; quum scilicet suspenso fune ex arbore homines se iactarent.

Sed est et aliud oscillationis genus: quis enim non vedit pueros, qui trabes longiores in utroque extremo duobus pedibus instructas transversas in crucis formam collocaint, ita ut altera alteri imponeretur, ac duo in extrema trabe se attollerent et demitterent?

(*Ad proximum numerum*).

I. M. F.

COLLOQUIA LATINA

Herilia¹

CLETUS, SYRUS servus

CLETUS - Heus, heus! Iamdudum raucesco clamore, nec tu tamen expurgisceris? Videre mihi vel cum gliribus certare posse. Non te pudet somnium hominis in multam lucem stertere? Qui frugi sunt famuli solent exortum solis anteverttere, curareque

² Erat alter *Chalcismus*, quum rectum rimum digito inpositum circumgentes mox excutiebant, et prinsquam humi caderet recto digito rursus excipiebant. Qui ita excepserat vicebat. Ita Eustathius.

¹ Ex ERASMO recognovit, depropnsit hodiernaeque viuae libere aptavit. I. F.

ut herus surgens reperiat omnia parata. Ut aegre divellitur a nido tepefacto cuculus! Dum scalpit caput, dum distendit nervos, dum oscitat, tota abit hora.

SYRUS - Vixdum diluxit.

CLETUS - Credo; tibi. Nam tuis oculis adhuc multa nox est. (Tibi nox adhuc est concubia).

SYRUS - Quid me iubes facere?

CLETUS - Fac ut luceat foculus, verre pileum ac pallium, exterge calceos, bracas ac tunicam inversa, primum intus purga scopis, mox foris. Muta mihi lineum indusium.

SYRUS - Fiet.

CLETUS - Atqui move te ocyus. Iam haec fecisse oportuit.

SYRUS - Moveo.

CLETUS - Video, sed nihil promoves. Ut incedit testudo.

SYRUS - Non possum simul sorbere et stare.

CLETUS - Etiam sententias loqueris, impudens? Tolle matulam, compone lecti strigulas, dolato pavimentum (poli solum cubiculi), adfer aquam lavandis manibus. Quid cessas?

SYRUS (*murmurans*) - Quam imperiosum habeo dominum! Vix huius iussis decem expediti famuli fecerint satis.

CLETUS - Quid ais, cessator?

SYRUS - Nihil; omnia recte.

CLETUS - Non ego te audio murmurarem?

SYRUS - Evidem precor.

CLETUS - Credo, *Pater noster* inversum. (Precationem, opinor, Dominicam praeposterere). Et quid gannis de imperio?

SYRUS - Precor tibi ut fias Imperator.

CLETUS - Et ego tibi, ut fias homo ex caudice. Sequere me ad forum usque; mox domum recurrito, lucubratorios lectos concinnato; haec confusa suo quaeque loco digerito; sordida omnia submoveto ab oculis... Ne quid sit praetermissum ut niteat tota domus.

SYRUS - At interim de prandio nulla mentio.

CLETUS - Vah, quo mentem habes! Non prandeo domi.

SYRUS - Tibi quidem prospectum, sed hic interim nihil est quod edam ego.

CLETUS - Si non est quod edas, est quod esurias.

SYRUS - Nemo fit esuriendo satur.

CLETUS - Est panis.

SYRUS - Est, sed ater et furfuraceus.

CLETUS - Delicias hominist! Tibi quidem foenum esse oporteat, si pabulum detur te dignum. An postulas ut te placentis saginem? Si fastidis panem citra obsonium, adde porrum, aut, si mavis, cepe, lactucas, aliave quae in horto sunt.

SYRUS (secum loquens) - Profecto non homo, sed cicur, infelix ego, sum huic domino!

HORAE SUBSECIVAE

NUX

Nux frutex humilis fuit, suasque
Vel carpi a pueris nuces dolebat.
Arbor ut fieret, Iovem rogavit.
Crevit iuncta viae statim, statimque
Saxis a pueris fuit petita.
Voti poenituit suique frustra:
Dum ludunt pueri, nucesque poscunt,
Saxis perpetuis nucem flagellant.
Suo ex ordine qui recedit ultro,
Occurrat quibus haud putat ruinis.

ASINUS ET FLORES

Cum viles asinus voraret herbas,
In his qui duo flosculi latebant,
Florum deliciae, simul comedit;
At statim velut expuit venenum,
Et premit pede ter quater protervo.
Sic placent asinis venustiora!

FORMICA ET CICADA

Aestas dum calet, igneisque torret,
Flamas qui iacit, aërem favillis,
Dum Formica sibi parat, quod anni

Ignavissima pars solet negare,
Illam despiciens iners Cicada
Fritinnit strepitu invenustiore,
Statim saevit hyems, famesque torquet
Ausam spernere providos labores.
Piget consilii, pigetque sero.
Quod sprevit, petit invenitque nusquam;
Sensim deficit, interitque tandem:
Fatum desidis admonet Cicadae
Sibi, dum licet, esse providendum.

LEO ET CULEX

Culex nil timidus videt Leonem;
Sentit rex ferus, et si, ait, deceret,
Irasci tibi, disceres timere.
Ridet intrepidus Culex, minisque,
Me cum noveris, abstinebis, inquit.
Pugnatur: Leo dentibus, iubaque,
Et cauda, et pedibus ferire certat.
Culex dum tenui rotat volatu,
Omnis praecavet impetus, suosque
Insultat stimulo molestiore
Hostis luminibusque, naribusque.
Sic mordet, fugit, involat, remordet,
Ut plus, quam stimulis, pudore victus
In caecas Leo fugerit latebras.
Fortis spernere neminem memento:
Hoste sub minimo potes iacere.

EQUUS ET BOS

Nullis artibus obtinet magister,
Fraeno ut pareat igneus, nimisque
Libertatis amans equus protervae.
Effraenum dominus iubet vagari
Laeta per sata liberum maritum.
Exemplo monitus periculosu
Bos iugi patiens iugum recusat
Detrectans pedibusque, cornibusque.
Pinguecat sinit aridus bubulcus,
Ut sit victima pinguior macelli.
Sors pari sceleri paratur impar:
Huic regnum, laqueus paratur illi.

APES, PICA ET CICADA

Apem Pica monet, monet Cicada
Sua ut munera gratiora praestet.
Mel magis solidum sit, illa dicit,
Haec ceram solidam minus probarem.
Apes vocibus utriusque spretis
Opus, qua solet, elaborat arte.

Qui carpunt opera acrium virorum,
Pica ut stridula, vel Cicada vellet
Mel magis solidum, minusque ceram.

GALLUS ET UNIO

Dum Gallus pede pulverem revolvit,
Late quae nitet, edit unionem.
Spernit esuriens, atque tristis:
Granum plus mihi milii placet.
Necessaria prima sunt habenda:
Si desint, quoque pulchriora sordent.

CONCILIUM MURIUM

Sclestissima felium Sagitta
Mures fulminis instar opprimebat.
Lassa olim necis exiit per agros
Ad caeli, puto, purioris haustum.
Coetum Mus monitus vocat frequentem,
Hostem quo caveant periculosum.
A collo nola pendeat Sagittae —
Inquit Mus gravior: — sonus monebit
Ostendetque dolos. — Secentur unguis
Ac dentes — ait acrior —: sclestam
Inermem simul opprimemus omnes. —
Hic manus operi quis admoveret
Mus rogat senior, rogatque frustra:
Quisque difficiles recusat ausus.
Est in re facile ardua monere,
Niti, ac perficere est opus, laborque.

ANUS ET MORS

Anus perpetuo labore fracta
Impar fert humeris onus, caditque.
— O mors denique, mors amica, — dixit —
Vitae stamina rumpe tam molestae;
Hoc est, quod manet, unicum levamen. —
Mors vocata venit, rotatque falcem.
Anus territa: — Falce quid minaris?
Non est nunc mihi commodum perire:
Te, adiuves grave pondus hoc, rogaui.
Absentem facile est vocare mortem;
Praesens abstineat, rogamus omnes.

CORVUS ET VULPES

Ramo Corvulus insidebat alto,
Ore lactea forma prominebat.
Hac fraude abripuit dolosa Vulpes.
— Corve, scitulus es venustulusque:
Est oris tibi pulchrior figura.
Te magni faciunt aves, coluntque:

Auget tam nigra penna dignitatem.
Si voce, ut reliquis, praeis, volucrum

Solus imperium potes tenere. —
Sic Vulpes cata; Corvulo probante
Vocem, decidit ore, quam voravit
Praedam subdola sic locuta tandem:
— Placet vox tua, ceterisque digna est;
At me formula decidens beavit.
Qui blandas amat, excipiique voces,
Damno non sine luditur, maloque.

SIMIA, ASINUS ET TALPA

Naturam sibi non dedisse caudam
Tristis simia forte dum dolebat,
Sibi cornua tristior negasse
Questus est Asinus. — Videtis, — inquit —
Talpa, nec satis est? Carere luce
Esse re scio maximum malorum.
Si magis miseros miser videbis,
Erit quod misera fruare sorte.

A. CIAMPI.

PAROAEMIAE SIVE ADAGIA

PISTILLO RETUSIUS

Proverbialis est hyperbole, quam in epistles usurpavit S. Hieronymus: Pistillo retusius, pro eo quod est minime acutum. Timon Cleanthem ob ingenii tarditatem appellat pistillum, sive mortarium ignavum. Et Chrysippeum acumen apud eundem per ironiam usurpatum in stupidum.

OBTRUDERE PALPUM

Apud Plautum est pro arte fucoque decipere: «Ego — inquit — istuc aliis dare condidici, mihi obtrudere non potes palpum». Unde «palpari» pro adulari, et «palpones» adulatores vocamus a simili metaphora, quae tracta est ab equisonibus, qui ferocientibus equis plausu manus ad blandiuntur.

NEBULAS DIVERBERARE

Nebulas diverberare dicitur qui vel in re stulta, vel quae fieri non queat, frustra sumit operam. Meminit Diogenianus. Suidas

84. *Hochofen* (*Alto forno; forno fusorio*): conflatatorium.
85. *Intermezzo* (*Intermezzo*): ludus interiectus, vel interpositus.
86. *Jovialität* (*Giovialità*): iucunditas.
87. *Jovial* (*Gioviale*): iucunditatis plenus.
88. *Kanu* (*Canotto*): caudica; lembus caudiceus.
89. *Karten spielen* (*Giocare a carte*): paginis ludere. (Ducangius 5, 10).
90. *Kartoffel* (*Patata*): solaninum tuber.
91. *Kegelspiel* (*Giuoco dei birilli*): coniludium; conorum ludus.
92. *Klappstuhl* (*Scranna pieghevole*): sella plicabilis.
93. *Koloratursängerin* (*Cantante di fiorrettature*): cantrix vel cantatrix flexionum.
94. *Komponieren* (*Comporre; mettere in musica*): notis musicis excipere; modos facere.
95. *Konzert geben* (*Dare un concerto*): concentus edere. (Val. Max. 2, 5, 7).
96. *Korkenzieher* (*Cavatappi*): tormentum cochleatum.
97. *Kotolett* (*Costoletta*): coticula. (Apicius 7, 259).
98. *Krematorium* (*Crematorio*): bustum, vel ustrina.
99. *Kriegsgewinnler* (*Lucratore di guerra*): bellicus lucripeta.
100. *Kunstgewerbeschule* (*Scuola d'arti e mestieri*): ludus operum atque artificiorum; ludus operum artificiarium.
101. *Kunstseide* (*Seta artificiale*): metaxa ficticia.
102. *Kurort* (*Luogo di cura*): locus salutaris; locus curationis.
103. *Laubsäge* (*Archetto*): serrula excupatoria.
104. *Lavagestein* (*Lava*): massa durata vulcania.
105. *Lavastrom* (*Torrente di lava*): amnis vulcanius.
106. *Lebensmittelkarte* (*Carta di viveri; Carta di alimenti; Tessera annoveraria*): tessera cibaria, sive victualis.
107. *Lichtreklame* (*Richiamo luminoso*): praeconium lucidum, vel luminescens.
108. *Limonade* (*Limonata*): posca citrea; posca limonina.
109. *Litfassäule* (*Colonna di richiamo*): columna praeconia.
110. *Lokomotive* (*Locomotiva*): curriculum vaporarium.
111. *Luftschutzbunker* (*Ricovero antiaereo*): subterraneum aëris custodiae receptaculum.
112. *Luxusartikel* (*Articoli di lusso*) res ad luxuriam pertinentes; nitidioris vitae instrumenta. (Plin. 13, 100).
113. *Malz* (*Orzo tallito; malto*): braces. (Plin. 18, 62).
114. *Mangel* (*Mangano*): prelum lintearium.
115. *Manschette, Stulpe* (*Manichino; Manichetto*): manualcus.
116. *Marmelade* (*Marmellata*): decoctum pomarium; pulpa pomaria; melimelum.
117. *Marzipan* (*Marzapane*): coptopla-centa. (Petron. 40, 4).
118. *Melancholie* (*Malinconia*): angores; gravitas mentis.
119. *Militärattaché* (*Addetto militare*): militaris adiutor.
120. *Mineralquelle* (*Fonte minerale*): fons medicatus. (Plin. 2, 207.)
121. *Mineralwasser* (*Acqua minerale*): aqua medicata.
122. *Mohrrübe* (*Carota*): carota vel carriota.

IMPRIMATUR:

† Fr. A. C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA

QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



VARIA

Non possunt eadem fundamenta legum ei reipublicae convenire, quae cives habeat male moratos malosque, ut conveniebant ei, quae cives bonos ac bene institutos habebat.¹

In referendis legibus licebat (Romae) Tribuno plebis, et ceterorum quoque civium unicuique, legem, quam ex usu Reipublicae esse putaret, populo disputandam proponere, ut omnes ac singuli cives, quid de ea sentirent publice pronuntiare possent antequam illa sanciretur. Quae consuetudo olim, quum cives omnes boni beneque morati erant, Reipublicae utique proderat, quum intersit, ut si quis est ceteris prudenter, id possit in communem civium usum conferre, quod novit Reipublicae utile esse; et refert etiam non parum, ut de eo quod publice rogandum sit, unicuique sententiam dicere liceat, ut plebs, auditis omnium sententiis, optimam quamque eligere queat. Sed postquam cives depravati, et in tantam morum corruptelam lapsi sunt, non utilis, sed perniciosa fuit eadem consuetudo, quod soli potentes leges proponere auderent, et eas quidem tales, quibus magis ipsorum potentia confirmari, quam libertas publica conservari posset; nec audebat etiam contra hasce eorum leges quam disputatione, quod illorum potentia formidabilis esset; atque ita fiebat, ut eam populus in suam ipsius perniciem amplectetur. Haec unica ergo ratio erat, qua Roma in tanta morum corruptela libertatem

potuisse conservare, si et novis legibus vitia, quae grassabantur, subinde emendassent, et legum fundamenta ipsas antiquissimas ferendarum legum creandorumque magistratum consuetudines plane immutassent et praesenti tempori accommodassent. Neque enim possunt eadem fundamenta legum convenire ei Reipublicae quae cives habet male moratos malosque, ut conveniebant ei, quae cives bonos ac bene institutos habebat; quod contraria subiecta non debeant eodem modo tractari. Sed quoniam huiusmodi antiquarum consuetudinum mutationem necesse est vel simul ac statim fieri, postquam cognitae fuerint praesenti tempori non convenire, aut sensim paulatimque antequam ab omnibus id animadvertisatur, dico utrumque difficillimum esse. Sensim enim si mutantur huiusmodi antiquae consuetudines, necesse est id ab aliquo sapiente sive institui, qui e longinquo videat, quam sint futurae Reipublicae periculosa. Sed quam facile rurus huic sapienti se alii cives opponere poterunt? Quibus non persuadere poterit id quod e longinquo cernat. Praeterea omnes ita sumus affecti, ut ab antiqua vivendi consuetudine non libenter discedamus. Quod si emendanda sint hae antiquae consuetudines tunc, quum iam constet eas Reipublicae inutiles periculosaque esse, et proinde simul tollendas e medio, ne id quidem sine magno periculo atque difficultate fieri potest, quod ad rem eam non sufficient media legibus consentientia, quae ne que ipsa quidem periculo vacant, sed ad novas quasdam rationes configendum sit, atque fortasse ad arma usque veniendum.

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit E. BINDI.*

Luctuosum cum lectoribus sociisque "Almae Romae" communicamus nuntium, clarissimum Doctorem IOSEPHUM FORNARI, necopinato corruptum morbo, Ecclesiae Sacramentis rite munitum ac peculiari Summi Pontificis benedictione recreatum, piissime e vita cessisse Neptuniae, die 18 septembris. Christianis "Almae Romae" lectorum suffragiis eius animam enixe commendamus.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXLII est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque mittendum sive ad IOSEPHUM FORNARI doct. Romam, Via di S. Maria dell'Anima, 39 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

FLOS IN RIMA

Non ego te sevi, pingue nec, floscule, testa apposui limum tibi; te non imbre rigavi,
nec gracilem cinxi culmum telluris acervo;
sed subito, exortum rima te sponte fenestrae,
aspicio crocea depictum veste corollam.

Me latet omnino quo te, discernere doctus
herbas et frutices, Linnaeus nomine dixit;
quo reliquos inter digesserit ordine flores
sub genere et specie, neque nunc inquirere curo;
me iuvat at potius paulum in te pascere visum,
dum tremulum nutas caput arridesque colore.

Salve, care mihi iucundi nuntie veris!
Opportunus ades, iugi strepitante tumultu
per fora perque vias, qui grata silentia ruris,
otia camporum revocas lucosque virentes,
blandulus aspectu laeto specieque decora
defessam studiis mentem recreare severis.

Unde venis? volucris rostro fortasse voracis
huc lapsum cecidit semen, quo tanta venustas
prodiit? an vectum ventorum turbine, gyris
innumeris actum, tandem pia rima recepit?
Miris vita modis renovatur ubique per orbem,
provida vel tenui Sapientia prospicit herbae!
Hic tibi, commotus rhedarum praepete cursu,
molle cubile, cadens, extruxit pulvis hiatu,
altaque prorupit nocturni aspergine roris
exiguo latitans pulcherrima semine vita.

Aëre quot volitant nulli corpuscula visa!
Immensus natura thorus, quo condita turgent,
mox paritura novam, genitalia germina, prolem.

Undique vita fremit; gravidus pulvisculus ovis,
haud oculo captis, quovis penetrabilis errat,
abruptisque iugis, spelaeis, aequoris antris
denique subsidens fetus traducit et auget,
terraque luxurians exsultat iugi hymenaeo.

Num penitus mundum pervadit spiritus ingens
atque animat molem, per partes diditus omnes?
Falleris, haud scite veteris commenta secutus
Pythagorae, haec culto referens, Maro candide, versu¹
Quaeque sua gliscit forma natura, recepta
materia priva, geminis coalescit et unum
principiis vivens, quod dispar exhibet actus,
et locus, ab reliquis, et non communis origo.
Dividuas refugit, mensurae spiritus expers,
partes; totus adest, simplex, quocumque penetrat,
numine cuncta replens terra caeloque profundo.
Hic Deus est, plane transcendens cuncta creata,
cunctaque compenetrans prorsus discretus ab ipsis,
totus ibi praesens, in quavis parteque totus,
omnia quo constant, perdurant atque moventur.
Hic Deus est, unus qui in Se complectitur Ipse
quidquid rebus inest pulcri et praefulget honesti.
Hinc decus omne fluit, mundi spectabilis ordo
quo nitet, astrorum lepor auroraeque rubentis
et risus pueri, et crocinus tibi, floscula, amictus.

Si rerum species partita brevique caduca-
attonat heu, toties mentes cantaminis instar,
quid cum tota simul spectabitur Ipsa Venustas,
Luceque lux omnis cumulata micabit in una
et divisus amor Primo absolvetur Amore?

Sole sub ardent, cuius, flos, munere fluxit
haec tibi vita, brevi caput inclinabis adustum,
protinus atque alio volucri rapieris ab aura.
Occidis amplexu dum te demulceret amico
undique Sol, pelago quaerens te mergere lucis.
Occidis ut rursum, veniente novatus aprilii,
exsilias viridi culmo flavaque corolla.

Sic mihi contingat fragilem deponere vestem,
Solis inundato vitali lumine dii
prorsus et absumpto flamma recreantis Amoris!
Mens pia decipitur, spe tanta freta dolorum.

V. GENOVESI, S. I.

¹ VERG., I. VI, vv. 726-27.

HISTORICAE NOTAE

Legis XII tabularum brevis expositio¹ De rerum dominio (Tab. VI-VII)

Res est quidquid usui homini esse potest
ad finem suum assequendum. In iure qui-
ritario attenduntur fundus eaque quae cum
fundo connectuntur: servi, pecudes, servitu-
tes. Fundi aut sunt solum, aut aedificia;
item aut rustica, aut urbana: solum urbanum
appellatur «area»; aedificium urbanum «aedes»; solum rusticum «ager»;
aedificium rusticum «tugurium», et postea
etiam «villa». Ager dicitur «haere-
dium», quia hereditibus legari potest.

Disputant quomodo historice ortum sit
dominium; traditur Romulus bina agri iu-
gera distribuisse patribus; quaestio a re
nostra exsulat; censemus rerum dominium
privatum esse homini connaturale; ortum
igitur fuisse natura ipsa duce, ex occupa-
tione; constitutum vero deinde iuridice et
definitum moribus ac legibus; receptum
autem iam fuisse quo tempore lata est lex
duodecim tabularum; agit enim de acqui-
rendo rerum domino.

Dominium nomen est indefinitum, et
iura omnia significat, quibus res dici potest
«mea»: est absoluta et plena in se potes-
tas, ius utendi atque abutendi; nec quo
animo quis re sua utatur inquire potest:
extenditur in infinitum, quum omnes extra-
neos repellat omniaque iura contineat; sed
contrahi potest in infinitum, ut ad nudum
ius redigatur, sine potestate sua re utendi;
nec ideo exstringitur, comprimitur, sed
cessante compressu resultat. Limites licet
excludat dominium, patitur tamen quando-
que exercitium dominii sive concurrentibus
aliis dominis, sive ex lege.

Imprimis res potest esse plurium domi-
norum: habetur tunc «condominium»,

¹ Cfr. fasc. sup.

quo rei plenum dominium est penes singu-
los, «condominos», non penes societatem;
societas enim res est toto caelo diversa: ita-
que condomini singuli ea re tamquam sua
uti, abuti posunt; salvis ceterorum iuribus;
et quae iura divisionem patiuntur, iis pro
sua parte quisque utitur (ita exempli gra-
tia fructus suos singuli colligunt); quae
vero non patiuntur, iis utitur non nisi omni-
bus consentientibus: cuilibet enim est
«ius prohibendi», et si suo iuri aliquis
renuntiat, ceteris omnibus datur «ius ac-
crescendi». Praeterea exercitium dominii
fines patitur quum in re sua sint aliorum
favore iura constituta, ut est in servitu-
tibus.

Lex autem fines iuri dominii exercendo
quandoque constituit in bonum commune:
ita temperata sunt domini iura in servos;
concessum ut rami extendantur in fundum
vicini,² ut aqua pluvia naturali via decur-
rat in fundum inferiorem,³ utque liceret
tertio quoque die fundum ingredi alienum
ad fructus suee arboris colligendos.⁴

Fundus ritu quodam sacro (limitatione)
definiebatur, et spatio circumibatur («iter
limitare» in fundo rusticō; «ambitus» in
urbano), quod non potest usucapi.⁵ Do-
minium fundi repellit quemlibet extra-
neum et comprehendit quidquid in fundo
est, ad caelum sursum, usque ad inferos
deorsum. Fundus romanus praeterea im-
munis est a quolibet tributo, tributa one-

² TAB. VII, 9: Rami arboris... Arbor vento inclinata... — ULPIANUS (*Dig.* 43, 27, 1, 8): Lex XII tab. officere voluit, ut XV pedes altius rami arboris circumcidantur. — POM-
PONIUS (*Dig.* 43, 27, 2): Si rībor ex vicini fundo vento in-
clinata in tuum fundum st̄t, ex lege XII tab. de admenda
ea recte agere potes.

³ TAB. VII, 8: Si aqua pluvia nocet... rivus aquae du-
ctus... — PAULUS (*Dig.* 43, 8, 5): Si per publicum locum
rivus aquae ductus privato nocebit, erit actio privato ex
lege XII tab. ut noxae domino caveatur.

⁴ TAB. VII, 10: Glans in alienum fundum... PLINIUS
(*Hist. nat.* 16, 5, 15): Cautum est lege XII tab. ut glandem
in alienum fundum prominentem liceret colligere.

⁵ TAB. VII, 4:... V pedes usu capio... — CICERO (*De
leg.* 1, 21, 55): Usus capionem XII tab. intra quinque pedes
esse voluerunt.

rant dominum fundi, non fundum; fundi provinciales, e contra, vectigalibus onerantur. Dominum denique est natura sua perpetuum; dominum ad tempus nec concipitur.

Haec omnia temporis progressu immutata sunt recesseruntque a rigore iuris; fundamenta tamen ad nos usque permanerunt.

(*Ad proximum numerum*).

SYLVUS ROMANI.

CAROLUS FEDELI DE RELIGIONE ET MEDICINA BENE MERITUS

Sapientiam minime posse cum vera religione coniungi haud pauci elapsae praesertim aetatis, etenim nostra — Deo favente — ad meliorem frugem se sensim recepisse videtur, ineptissime effutiverunt; dum, contra reputando, neque meliores neque praestantiores homines inveneris, quam illi qui, rectius sententies, rerum cognitionem a Dei cultu non abstrahendum putarunt. Testes sunt, praeter Galileium, cuius trecentesimum annum ab interitu festo ritu traducimus, alii multi, qui, vel diem supremum iam obierunt, vel qui adhuc agunt inter vivos; quarum seriem, satis prolixam, brevitatis causa, praetermittendam censemus.

Hic tantum liceat vitam gestaque summatim attingere cuiusdam viri in medica arte praestantis, simulque eximiae profecto pietatis, cuius vestigiis, si iuvenes inhaerent, gloriam apud Deum et homines consecuturos fore confidimus.

* * *

Carolus Fidelius, patre Fidele, in inclita Academia Pisana doctore decuriali, qui postea ob insignia in patriam scientiamque merita in senatorum numero est relatus, matre autem Henrichetta Municchia, nobili

genere orta, lucem aspergit, Pisis, die Sancto Carolo Borromaeo sacra anno Domini MDCCCLII.

Narrare nobis solebat Caroli genetrix quae ad extremam senectam pervenit in piis precationibus, aut in acu pingendo tempus insumens, filium suum adhuc tenellum, et sugentem ubera, quum more puerorum interdum vagiret super cymbalum quod concinne sciebat, collocare tranquillandi causa; ex hoc fortassis evenisse cur ille, inde ab incunabulis, divinam musices artem, cuius blandimentis ferae quoque mansuescunt, per totam vitam in deliciis habuerit.

Puerulus in litteris italicis et latinis datum est erudiendus haud praceptoribus fidei saepe dubiae vel scientiae fallacis; sed mulieri, ut cum Salomone loquamus, «cuius pretium procul et de ultimis finibus», idest Catharinae Franciscae Narrensi, iuvenilibus adhuc annis Michaeli Ferruccio nuptae, qui in maximo Pisaniorum Lycaeо litterarum latinarum cathedram per aliquot annos, summo cum plausu, tenuit.

Catharina autem, eximia pietate erga Deum, summa in patriam caritate spectabilis, in corpore exiguo magnam alens flammam, Romanorum sermonem sic percallebat, ut cum viro suo, etsi eruditissimo, cunctis aientibus, decertare facile posset.

Sub tanta magistra militans incredibile est dictu quantos progressus Carolus noster in studiis fecerit, praesertim quum, insequentibus annis, illos religiosos viros Florentiae audivisset, quos S. Iosephus Calasanctius, ad erudiendam spiritu intelligentiae ac pietatis iuventutem, primus Romae instituit.

Florentibus annis Pisas sese contulit, ut in celeberrima Academia quae, per tot iam saecula scientiae lumen non modo inter Italos, sed per totum fere terrarum orbem auxit et diffudit, in medicinae studia incubitus, quibus parens eius sic eminebat

ut, Victorio Emmanuele Rege quandam apud Sanctum Luxorium graviter morbo laborante, arcessitus sit, ut aegroti valedicendi sapienti consiliorum consulueret.

In Pisano Athenaeo, super cuius fronte, ea tempestate legebantur verba marmore insculpta: «INITIUM SAPIENTIAE TIMOR DOMINI», quae inscriptio, novissimis temporibus, ab hominibus stultissimis, ne dicam nefariis ablata est; rati sanctum Dei nomen, hoc pacto se funditus deleturos, Carolo Fidelio, optimae spei iuveni, sors benigna, aut potius insignis Dei favor, dedit ut magistros invenire quiverit tanta doctrina et moribus ita integerrimis, ut studiorum curriculum optime confidere et doctoralem lauream adipisci facile potuerit.

Inter illos egregios viros enumerandi sunt, praestantia doctrinae, Petrus Burrius artis salutaris lumen, Paulus Savius et frater eius Caietanus, herbarum arborumque scientia peritissimi.

Postea Florentiae, ut mos erat, apud Valetudinarium, cui nomen «Sancta Maria Nova», studia perfecturus Carolus ad medicas disciplinas se applicavit ibique usus est item praceptoribus clarissimis, Francisco Puccinotio et Mauricio Bufalinio, cuius nomini «nullum par elogium».

* * *

Anno MDCCCLXXVI, quum Carolus Fidelius ageret annos quinque et viginti, cum Iulia Gibellia, bononiensi, puella et nobilitate generis et modestia et eximia forma commendabili, in matrimonium se iunxit. Ex ea septem liberos suscepit, quorum quinque — duae foeminae viris divitibus satis collocatae et tres mares — adhuc supersunt, genitoris exempla optime imitantes.

Pisis, in eadem Academia, quam Noster summis laudibus iugiter ad caelum sustulit, illam medicinae partem, quae ad rudimenta scientiae ipsius pertinens, graeca voce «propedeutica» nuncupatur, profes-

sus est; deinde medicinam theoreticam eiusque historiam. E schola illius exierunt, omni tempore, discipuli, qui magnum sibi nomen fecere, inter quos Maximilianus Cardinius, ut ceteros omittamus, in Athenaeo Romano medicinae historiae professor atque in Romanorum institutionibus exquisite versatus.

Grassabatur et debacchabatur quondam non solum Pisis, verum in tota Italia, eorum qui liberi dicebantur structores execrabilis Sodalitas, in Christum et christianum populum adeo imfensa, ut illi atrox intulerit bellum ea mente Religionem patrum penitus evertendi. Quot et quanta Carolus Fidelius, multa pietate vir, ab istis seditionis scelestisque hominibus perpessus sit, quae vox, quae lingua retexere potest?

Praestat nihilominus asserere illum in christianam rem publicam, et in Pisanorum percelebrem Academiam, tanto amore flagrasse, ut, si quando daretur occasio, illarum causam scite et strenue tuendam arbitraretur.

Iam inde a primaeva Academia pisanae aetate mos fuit, usque in diem hodiernam servatus, ut unus ex doctoribus ipsius academie, die statuta ad instauranda studia orationem diceret aditalem.

Factum est ut anno MDCCXCIII ad hoc obeundum munus electus fuerit quidam vir, qui, etsi in historicis disciplinis ad magnam nominis amplitudinem pervenisset, christiani gregis Duces et Rectores Supremi, tyranni potius ei et libertatis osores, quam mites et beneficentissimi pastores viderentur; inde evenit ut in oratione illa, coram confertissimo consessu recitata, mendacia et ignominiosa contra Pontifices Romanos evomuerit; et, infandum dictu!, Christi sacerdotes, una cum Francisco Guicciardinio, «scelestos» haud veritus sit appellare!

Ad gubernacula pisanae plebis sedebat, eo tempore, Petrus Maffius, qui purpuram, qua a Pio X Pontifice Maximo decoratus

fuerat, illustravit insigni, praeter sapientiam, religione ac pietate, perpetua morum innocentia, divinae gloriae atque Apostolicae Sedis ardentissimo studio in omnibus eius gestis ac verbis promicante.

Aegre tulit Fidelius Pontificatum Romanum, cuius lucidissimum iubar ubiquaque splendescit, affectum fuisse ab oratore, quem supra memoravimus, iniustis criminationibus; atque Petro Maffio suadente, et largam stipem elargiente, consilium cepit verba iniqua in Pontifices prolata refellendi; et quum esset multa eruditione praeditus, adiuvante Ranuccio, qui, eo aeo Tabulario Vaticano praeverat, plurima documenta erui curavit et typis cudi, quibus Pontifices semper optimorum studiorum fuisse fautores et in Athenaeum pisanum beneficentissimos, meridiana luce patefactum est.

Volumen illud, sapienter concinnatum, quodque ars et ornamenta typographica pretiosius redditum, ab hominibus non vulgaris doctrinae, hisce quoque diebus, saepissime volutatur.

Plurima alia opera exaravit Fidelius ad medicinae artem speciatim spectantia; et Supremi Militaris Ordinis Melitensis splendorem suis scriptis addidit; ita ut ab ipso, merito grato, aureae crucis praemio sit honestatus.

Exemplum denique imitatus veterum Academiae pisanae professorum, qui in apollineis hortis suaveolentes colegerunt flores, musas italicas interdum coluit, variis etsi brevibus carminibus suavi artificio conditis.

Montis Catini Thermis salubrium aquarum causa fere per totum orbem celebribus per multos annos praeceps; et nisus est totis viribus ut pestis averteretur illarum foeminarum minus honestarum, quae, praesertim aestivo tempore, sagittas in avernus specubus elaboratas intendunt, ut multorum animas in ruinam detrudant.

Innumeri illi qui ad Carolum Fidelium

curationis gratia confluabant; inter illos adnumerandi viri scientia, litteris, artibus clarissimi, praesules multi infula decorati, nonnulli denique, qui in beatorum numero sunt relati. Aliquando percunctati sumus ab eo quidnam sentiret de Gemma Galgania, admirabili illa virgine lucensi, quae, ceu columba candidissima, iaculo venatoris transfixa, abhinc aliquot annis ad Superos evolarat. Haud nos fugiebat olim Gemmam petuisse Pisas Carolum, cuius nomen longe lateque vagabatur, valetudinis causa culturam. Ad haec ait se nihil de illa nos docere posse, quippe testis iureiurando adstrictus esset in causa, quae tunc ante Sacrum Tribunal agitabatur; solummodo asserere posse Gemmam puellam fuisse cunctis virtutibus ornatam.

Erga Deiparam autem, nostram perpetuo Matrem et sospitricem, quo amore Carolus noster fuerit, incredibile dictu; et, heus!, si tempus spatiumque sufficeret, et ni inter certos cancellos clauderemur, quot et quanta perbella specimina, ex illius viri scriptis deprompta, afferre potuissemus, in Sanctissimam Dei Parentem tenerrimam eius dilectionem et observantiam demonstrantia!

Amicitia et familiaritate coniunctus fuit cum Iosepho Toniolo, qui Academiam Pisana cum eximia doctrina, tum maxime vitae integritate, illustriorem effecit; cuique, Deo annuente, beati titulum infra breve tempus collaturum fore speramus; Toniolus autem, tanti faciebat Fidelium, ut de illo semper honorifice loqueretur. Sed et Leo XIII, Pius X Pontifices, nec non Petrus Gasparrius, Antonius Fogazzarius, Laurentius Perosius, Iosephus Verdi, Ferdinandus Martinius, Michael Gordigianus, cuncti denique viri vel stirpis claritate aut scientia immortalitate donati, arctis amictiae nexibus complexi sunt Fidelium, et cum isto epistolarum commercio usi sunt.

Annos agens quatuor et septuaginta, quum iam ad metam pervenisset, et adver-

sa valetudine affici coepisset, rude donatus est. Cruciatus cunctos, quibus angebatur, aequo animo toleravit; et magno cum pie-tatis sensu, Domino confisus, ut deceat Sanctos, vitae occasum opportus est.

Anno denique MDCCCCXXVII, festo die S. Nicolai, qui Tolentinum aeterna prodigiorum illustrat fama, Carolus Fidelius, piacularium sacrorum ope praesidioque instructus, in complexu uxoris amantissimae et filiorum, qui adstabant lacrimantes, animam efflavit.

Elatus est, decora pompa funebri, per fratres antiquae et Venerabilis Sodalitatis cui nomen « del Crocione », magna stipante caterva propinquorum, sodalium, discipulorum, egenorum plurimorum, quorum inopiae semper fuerat opitulatus, et iustis peractis, in templo S. Raynerii, in Coemeterio, extra urbis moenia, sepultus est. Sed elapsio vix biennio, procerum Civitatis pisanae voluntate, corpus illius in Aede Sancto Francisco Assisiensi dicata, pro qua reficienda Fidelius, una cum multis aliis civibus pisaniis, eximium sumptum impenderat, translatum est.

Ossa Caroli Fidelii, cuius universa vita totius fuit honestatis et probitatis exemplum, in Templo supra memorato Pisani munificentia ac pietate exstructo, in sacello Beatae Mariae Virgini sacro requiescant; idque haud sine supremi arcano Numinis consilio factum esse existimamus; nempe ut ille praeclarus vir, qui Sanctissimam angelorum mortaliumque Reginam, tanto obsequio complexus fuerat dum vive-ret, totoque pectore dilexerat; demortuus quoque, dulcissima luce, a simulacro Illius continuo refulgenti, caelesti solacio recreari quodammodo videretur; atque cum illo Cantici Canticorum mystico Sponso bene recteque effari quiret: « Sub umbra illius quam desideraveram sedi; et fructus eius dulces gutturi meo ».

Scribebam Florentiae, in dedicatione S. Mariae ad nives
EUGENIUS CAPPELLIUS.

DE ALCHYMIA

Cham, qui et Chamos, a priscis traditur Aegyptiorum pater; hinc saepe in sacris litteris Aegyptus et quae circa late regiones « terra Cham » appellantur. At, haud multo post obitum huius protoparentis, eum nepotes et posteri quasi Deum coluerunt, et simulacrum constituerunt in templo, idolumque vocaverunt « Chamos ». Qui sacerdotes huic Numini serviebant doctrinas coluerunt a Noetica domo defluentes, propterea quod, quum in illis excellerent, scientiam hanc ipsam dicere placuit *Chamiam*, seu *Chimiam*, cui voci addita syllaba *el*, seu *al* (idem enim sonat ex *aleph*), indicavit scientiam divinam Cham, seu Chamos, uno nomine: *Alchymia*. Qui vero consideraverint apud sacerdotes, delubraque fuisse tunc temporis medendi omnem artem, fuisse et remediorum dispensationem, habebunt integrum, meo iudicio, causam, qua vel nunc pharmacopae apud gentes nonnullas « *Chemistae* », et « *Chemistes* » nuncupentur, quum et « *Alchymistae* » nominati sint illi, qui disciplinis naturalibus dicam rectius, qui viribus naturalibus occultis freti, et posse mirabilia facere iactabant, et fortes nonnulla mirabilia patrabant.

Notabo insuper scientiam duplex inivisse iter duas inter gentes, Chaldaeas nempe et Aegyptias. Illa se astris inspiciendis praesertim addixit, Aegyptia vero naturalibus praesertim rebus, quae propter solum sunt, neque tamen astronomica reliquerunt inculta; nam scimus quid adstruxissent Aegyptii de Sothiaco anno usque ad Ptolemaeum illum, qui absolutum quoddam sistema astronomicum finxit, stellas catalogo descripsit, pluraque confecit, ex quibus aeternam sibi famam et recordationem comparavit.

Quidquid est, in humanis rebus eadem contingunt, quae in fluminibus videmus ac-



cidere. PELLUCIDAE LYMPHAE PRIMO E FONTE ERUMPUNT, PURISSIMAQUE BIBUNTUR. EADEM LONGO DECURSU SIVE QUOD TERRAS ERODANT ET SABULIS, ARENIS, CRASSIQUE SOLI PARTIBUS IMBUANTUR, SIVE QUOD MINIME PURIS ADMISCEANTUR RIVULIS, ET FOEDITATE CONTAMINATIS ALIQUA FONTIBUS COPULENTUR, NITOREM PRISTINUM AMITTUNT, TURBIDAE FIUNT, ET QUI TIBRIS, QUI ANIO SEPTIFONS PURISSIMI SUNT, IDEM POSTEA VEL VIRIDESCENTES, VEL ALBICANTES, VEL FLAVI APPARENT. SIC HUMANA OMNIA, A PHILOSOPHICIS DISCIPLINIS EXORDIOR, AD ARTES, QUAE INITIO BONA, RECTA, RATIONABILIA TRADUNTUR ET COLUNTUR, UBI PER DISCIPULOS, AD TERTIAM AETATEM, VEL QUARTAM PERVERNERINT, SIVE MALITIA, SIVE AMBITIONE MALA, SIVE NESSIO QUA CAECITATE SEQUENTIA, ITA IN EXCESSUS ABEUNT PLERUMQUE CONTRARIOS, UT NON FACILE CREDAS UTRAMQUE SCHOLAM ET DISCIPLINAM UNA EXORTAM ESSE AB ORIGINE. LABORARET PROFECTO TRADITIONUM FIDES UTI FUISSE TALES CREDEREMUS. NEQUE ALITER EA DISCIPLINA SE GESSIT, QUAE IN SACRARIIS, COENOBIISQUE CHAMOS TRADEBATUR, ET FORTASSE TUNC AMBITIOSUM SUPERBISSIMUMQUE ILLUD AL SIBI ADSCIVIT, COPULAVIT, PRAEFIXIT, UT HABERETUR DIVINA, QUANDO, DIVINITATE, SCILICET VERITATE, ABDICATA ET REPUDIATA, CONVERSA EST AD FABULAS, ET POSSE SE DIXIT QUAE IMPOSSIBILIA REBANTUR. HAUD ALITER APUD GRAECOS TUNC, *σοφία* QUAE PRIMUM, *φιλοσοφία*, ID EST SAPIENTIAE DESIDERIUM ET AMOR ET STUDIUM, DICI COEPTA EST, QUANDO, SUPERBIA STERNENTE ITER HOMINIBUS, NON HI SCIENTIAE STUDEBANT, SED PROPRIO NOMINI, QUI COMMUNI REFUGIEBANT A SCIENTIA, NE CETERIS HABERENTUR AEQUALES.

ITAQUE SACERDOTESILLI CHAMISTAE POSTQUAM PLURA INCUBUERE IN REMEDIA, QUIBUS MORBI ARCENTUR, PLURA EXPERIENTES, VIX NOVA FEBRIUM TERRIS COHORS INCUBUIT SUIS, UBI INVENERUNT MEDELAM, QUA PESTES DIMOVERENTUR, IURE QUIDEM SANCTISSIMO, EA QUAESIVERUNT, QUAE CORPORA HUMANA A MORBORUM INCURSU ET IMPETU CONSERVARENT IMMUNIA: NON ENIM TAM IUCUNDUM EST A

DAMNO REVALESCERE, QUAE NULLUM IN DETERIMENTUM INCIDERE. HINC EA MEDICINAE PARS VENIT, ET SPONTE VENIT, QUAE INCOLUMES FACERET HOMINES, QUAE VIRES NON MODO RESTAURARET AMISSAS, VEL DEBILITATAS, VEL FRACAS, SED EAS ITA STATUERET, UT INTEGRAE STARENT, ET QUASSARI NON POSSENT, AUT SALTEM LABANTES ET FATISCENTES NON APPARERENT. INDE FUERUNT OMNIA FACIEI MEDICAMINA, QUORUM USUS PRAESERTIM APUD PECUNIOSAS INVALLUIT FOEMINAS, HINC APHRODISIACA OMNIA; NE PROGREDIARIS ORO, CANDIDE LECTOR, NAM LIMINA MORTIS PATENT, ET VENENA EX HERBA QUAERUNTUR, ET STATUTO LUNAE TEMPORE QUAERUNTUR, ET CERTIS SUB INVOCATIONIBUS, INCONDITISQUE VOCIBUS AVELLUNTUR. QUID SI ADMISCEATUR TABUM E CADAVERE? QUID SI PUER FAME CONFICIATUR SEMISEPULTUS, UT INDE GUTTA MORTIFERA ARIDO EXTRAHATUR A CORPUSCULO? HABES IAM OMNIA DELIRAMENTA SAGARUM, HABES QUAE MISCEANT ACONITA NOVERCAE, HABES QUAE LOCUSTAE NERONIBUS COMPARANT!

AT DUM HAEC LABUNTUR IN PEIUS, NON DEFUERE VIRI, ET ERUDITI ET A SCLERIBUS LONGE ABHORRENTES, QUIBUS EX MIXTIONE ELEMENTORUM, EX COACERVATIONE QUARUM DAM RERUM, EX REPETITIS CONATIBUS NONNULLA APPARUERE MIRABILIA, ET HAEC SUNT SEQUITI, DUM PLERIQUE AUT NIMIAM IN SPEM CRESCENTES, AUT DESIDERIO DIVITIARUM CONTABESCENTES DE TRANSFIGURANDIS CORPORIBUS, DE COMMUTANDIS COGITANT. DUO TAMEN HUMANUM GENUS, PROUTI ANTEA, PROUTI NUNC ETIAM, TORQUEBANT: AURI SACRA FAMES; DESIDERIUM IVENTUTIS AETERNAE. PRIMUM ILLUD PHARMACUM *Lapis Philosophicus* DICEBATUR, QUEM QUI FERRET NUNQUAM SENESCRET, INCOLUMIS A FERRO, A VENENO, AB INSIDIIS ABIRET, SECRETA OMNIA NOSCRET; ALTERUM, SCILICET COMMIXTIO QUAEDAM ET PROPORTIO METALLORUM ET RERUM, QUAE TORRENTE IGNE COMMUTARENTUR IN AURUM, QUADAM EX PARTE CUM LAPIDE ILLO PHILOSOPHICO CONVENIEBAT, QUADAM VERO EX PARTE CUM SCIENTIA NATURALIUM RERUM ET CONSIDERATIONE STELLARUM INCLIN-

NANTUM, VEL COEUNTUM, UT OPUS CONFICE-RETUR.

ATQUE HIC NOVUS ALCHYMISTARUM MODUS, NOVA CONDITIO ALCHYMISTARUM HABETUR. IPSE ENIM EODEM TEMPORE EST QUID NECESSARIUM APUD SINGULOS REGES, PRINCIPES, DYNASTAS; REGIA NULLA, ARX NULLA EST, QUAE IPO CARERE POSSIT; Datur sapienti viro domus singularis, turrim habet a qua speculetur astra, servos habet audientes dicto qui herbas, qui aquas, qui fructus querant, et afferant singulares. IPSI DE PRAENOSCENDIS PROCELLIS, DE TERRAEMOTIBUS, DE FULMINIBUS, DE TURBINIBUS CURA EST; IPSE TUEBITUR DOMINI SALUTEM, DOMINAE PULCHRITUDINEM, PHARMACA SUPPEDITABIT UTRIQUE OPPORTUNA; QUINIMO ET POTENTISSIMA VENENA, SI DOMINI LEGES TALIA TULISSENT. QUID SIT ALCHYMA QUAERIS? HAEC DE RE TRADIT IOANNES BAPTISTA BIRELLI COSMAE MEDICEO: « ALCHYMA EST ARS, QUAE HUMANOS OPIBUS PROPEMODUM INFINITIS DITAT, QUAE PHILOSOPHIA IURE DICITUR, LAETITIA ANIMORUM, ANGELICAE SPLENDOR SAPIENTIAE, MEDICINAE MATER, PHILOSOPHORUM DESIDERIUM, THESAURUS INEXPLEBILIS, EXTERMINATRIX MOERORIS, VIRTUTIS COMES. LAETIFICAT IUSTOS, CUM BONIS HABITAT, DETESTATUR IMPROBOS ET SCELESTOS. SUPER OMNIBUS REGNIS REGINA, VIRTUTEM EX HERBIS EXPRIMIT, ET MEDICINAE PER DISTILLATIONEM TRADIT *ESSENTIAS*, OMNESQUE ARTES IUVAT, ET AB IGNORANTIA RELEVAT, PRAECEPTIS DIVINI HERMETIS, (QUI AEGYPTIUS EST!). ». POST HAEC ENARRAT QUAE ALCHYMISTAE CLARISSIMI FECERINT, QUI ALCHYMIAE PRAECEPTIS USI, METALLA QUOMODO PURGARENTUR, INVENERUNT, QUI VINI ESSENTIAM (*alcool*), RAYMUNDO LULLIO FACIENTE INVENERUNT, QUA FERME MORTUIS VITA REDDITUR (ATQUE HINC ET APUD NOS *Acquavite* = *aqua vitae* VOCATUR), QUI AURUM POTABILE, ALEXIPHARMACUM PRINCEPS ET *nepente* SINGULARE CONFECERUNT. PROSEQUITUR INDE ENUMERANS LITHARGIRIA, PRAECIPITATUM, « *sublimatum* », ET SEXCENTA, QUAE NEMO QUIDEM NEGABIT. ADDEMUS ET NOS BRANDT HAMBURGENSEM INVENISSE PHOSPHO-

RUM, SCHWARTZ PULVEREM PYRICAM... ET SIC DE PLURIBUS.

QUID INDE? AB ALCHYMA, QUAE PRIMUM RECTA, VERAXQUE FUERAT, ET CIRCA SANANDA CORPORA, VEL TUENDAM INCOLUMITATEM ET IUVVENTUTEM, ET VIRES, ET PULCHRITUDINEM VER- SABATUR, ALCHYMAILLA MENDAX, ET FRAUDIS PLENA ET VENEFICII NATA EST. AT NEMO NEGABIT ETIAM INDE NATAM ALCHYMIAM, QUAE RERUM VESTIGANS ELEMENTA, PLURIMA TENTANS, ILLA ADINVENIT QUAE NEMO SPERABAT, QUAEQUE NUNC ALCHYMIAM IPSAM AD SUA REPORTARUNT EXORDIA, QUA USI DOCTI VIRI, PLURIMA GENERI HUMANO CONSTITUERUNT, QIBUS NUNC AUGENTUR ARTES, DIVITIAEQUE COMPARANTUR, QUM Nullae penitus modo sint artes, quibus chymica vires non suppeditet suas.

P. d. V.

DE M. TULLIO CICERONE ORATORUM ROMANORUM PRINCIPE¹

IAM Igitur extincta est gloria hominis, cuius ortum et studia, cuius lugendum extitum superioribus fasciculis paucis expressimus. Nam ex quo repertae sunt ad TARENTIAM LITTERAE ILLAE LACRIMIS PAENE DELETAE, ex quo in optandis partibus reipublicae perspecta est hominis vacillatio, virorum iam loco haberri non potest. Hic fere fuit sermo, quem initio huius argumenti tetigi, quo ego ad scribendum incitatus sum.

ET PRIMUM QUIDEM FACILE FATEOR MUL- TUM ESSE MUTATA CUM TEMPORIBUS DE CICERO- RONIS VIRTUTE ET PRAESTANTIA DOCTORUM IUDI- CIA: FUISSE QUM TULLIUS INTER FULGIDIORA COLLOCARET CAELI SIDERA, SANCTORUM FERE HABERET LOCO; FUISSE CENSORES, QUI NIHIL VIRO RELINQUERENT BONI. DETRACTORUM EIUS SE FACILE PRINCIPEM GLORIETUR MOMMSEN,

¹ Cfr. fasc. sup.

ceterum celeberrimus antiquitatis exquisitor et historicus haud negligendus, qui in tertio Historiae Romanorum tomo (editae primum a. 1856, postremum 1903) dicere audet: Ciceronem in republica nihil vidisse, nullam certam habuisse sententiam, nihil certi appetisse; ut litteratum plane in scium fuisse, fuisse ephemericarium scriptorem eumque volgarem prorsus; postremo hominis male fucatam fuisse levitatem duritatemque animi. Sunt ista Mommessiana oracula salsioribus quam verioribus concepta verbis, et ex eo genere, quae se- riū ocius ab eo qui edidit retractabuntur.

Dicunt vanum ingenium fuisse Ciceronem, imperitum fuisse politicae, qui se vellet politicum, rabulam fuisse et tornato- rem phrasium, nimium cupidum gloriae de se ipsum gloriatum esse, nescisse edu- care filios, in Terentiam uxorem, qui ni- mium mollis animi alias dedisset indicia, fuisse crudeliorem.

Paucos admodum invenias, qui de per- sonis, antiquis praesertim, propriam fe- rant sententiam; longe plurimi certe, quod alii ante cecinerunt, et ipsi recinunt. Hoc primum. Deinde haec fere est hominum natura, ut in proferendis de aliis iudiciis umbras, naevos, vitia ita exaggerent et sola commemorent, ut eorum plenus superlati- tivis in illis quidem viris nihil boni, nihil praestans superesse dicas. Quae virtutum reticentia in mentibus eorum qui audiunt et qui legunt facit, ut illi de quibus lo- quimur aut scribimus toti nigri sint, eo fere modo, quo quidam dissimulatores ita describunt carorum virorum vitas, ut to- totus lucem, nullam partem etiam umbram fuisse credas. Est haec aperta iniustitia, ei opposita virtuti, quae suum cuique tribuat. Iniustum est, inquam, eum dicere nullum fuisse, qui in aliquo genere doc- trinae vel in ea, quam profiteretur arte, exstiterit insignis, in aliis rebus mediocris fuerit, alias non attigerit. Iniustum est iu- dicium facere de constantia Ciceronis, re-

pertis in epistolis ad Terentiam uxorem et filiam ex duro exilio scriptis mollieribus, quam in forti viro exspectares, verbis et lacrimis; pronuntiare iam actum in perpetuum esse de Ciceronis virtute, de nu- mero virorum fortium tollendum.

Quam multos etiam invenias, qui de M. Tullii indole et operibus et gestis ab eo rebus sententias crepantes suas, vere fateri debeant vix se unam aut alteram orationum eius, nihil aut non multum legisse de scriptis eius philosophicis, nihil se legisse operum eius rhetoricon, nihil fere epi- stolarum. Quod nisi ita esset, non audi- remus toties etiam doctos homines tam in- digne garrire de implexis Ciceronis perio- dis deque Ciceronis loquendi genere uni- verso, huic tempori iam minus accommo- dato.

Sed, age, veniamus ad id quod eram pollicitus, ut proponam qualem ego per- sonam M. Tullii Ciceronis viderim. Hic ego certe non sum dicturus Tullium inter paucissima ingenia numerandum esse, quae ad omnia doctrinae et artium genera quasi facta exstiterint, in omnibus magna et insignia fuerit. Sed indole praeditus mediocri maiore, virili industria est as- secutus Tullius, ut artis dicendi at- tingeret apicem summum, linguam lati- nam ad summam adduceret elegantiam. Non sine certa ratione ego exordium tractatus mei repetii a studiis Ciceronis lon- gaque illa via et ardua, qua ille sibi ad doctrinam et usum dicendi comparandum enitendum statuisset. Quem ipse postea summum oratorem descriptis, ipse prope- modum factus erat, quum non solum linguae gnarus esset suae, ut nemo praeterea, verum etiam in philosophia exercitatus, in disciplina iuris eruditissimus, in historia Romanorum et exterarum nationum versa- tus et ita in omni scientiae genere diligens, ut de omnibus rebus graviter, ornate co- pioseque diceret. Ipse in libris de Oratore apparatum veri oratoris commemorat (I. I,

16-20). Neque illa studia, in pueritia su- scepta, postea remisit unquam. Quam est etiam hodie iucundum et utile ea perle- gere, quae in oratione illa, qua Archiam poētam defendit, de sua humanissima ani- mi remissione liberalissimaque proponit (12-16): « Haec studia, inquit, adolescen- tiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solacium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur ». Quam bene se ipse Tullius illis verbis descriptis, neque inanibus ver- bis, siquidem numerari et contemplari licet scriptos ab eo libros, dicere etiam quo singulos scripsit anno. Conspicatus de- cem operum eius tomos Teubnerianos pro- priam condidisse eum dicas bibliothecam. Hic habes orationum eius septuaginta quin- que, rhetorica opera septem, philosophica tredecim, epistolas ab ipso scriptas octin- gentas fere, orationum fragmenta septen- decim. Quis non fateatur Ciceronem sin- gulari dumtaxat industria tot libros scri- bere potuisse, praesertim quum cogites non pauca eius opera vel hominum vel temporum iniuria interisse. Accepimus tri- ginta orationum eius titulos; ediderat praeterea Hortensium vel de studio philosop- hiae, de Consolatione, de Gloria, de Vir- tutibus, de Iure civili in artem redigendo libros. Oeconomicum scripsit et Protagoram, historiam sui consulatus Graece scripsit et Anecdota, clandestinam sui tem- poris historiam et Admiranda.

Atque illis scriptis omnibus M. Tullius hominem se praebet linguae latinae absolutam imaginem. Quae ille loquitur clara sunt et elegantia, pura, rotunda, propria, venusta, nitida. Ingenio Cice- ronis Latinorum sermo ad summam per- fectionem effloruit. Rebus etiam ieuniori- bus addebat eam formam, ut lectorem non offendat aut satient, sed oblectent. In ora- tionibus certe, quarum non raro et ipsa distributio partium psychologicum artifi-

cium est, si non omnibus locis eandem habet argumentandi aciem et vehementiam, quam habet Demosthenes — natura non erat eadem — in reliquis rebus Graecum etiam superat, neque quisquam aliis orato- rum Graecorum et Romanorum par inveni Ciceroni potest, cuius dicendi exem- plis iam duobus annorum millibus illi se exercuerunt, quos summos oratores ha- bent Galli, Angli, Itali, Hispani. S. Au- gustinus, rhetorices magister haud igno- bilis, in dialogo contra Academicos (16) interrogat: « Quid in lingua latina excel- lentiū Cicerone inveniri potest? » Haec igitur Ciceronis excellentia, haec Ciceronis magnitudo est, quam ne innumerabilis qui- dem diruet series annorum multoque mi- nus salsa criticorum loquacitas. In summis ideo numerandus Cicero viris est, quod, ut idem dicit Augustinus, vir fuit eloquen- tissimus.

« Sed fuerit magnus orator Cicero, in- quiunt, nam si non fuisset, non eum essent sequuti summi illi oratores Bossueti, Se- gnerii, alii. Sed quare se etiam philoso- phum esse voluit, quare, qui nihil minus esset, quam ad cogitandum acutus, de phi- losophia edidit libros? »

Placide, oro vos, placide! Vide ne, quae res novam Tullio neque tenuem conciliet laudem, hanc tu garrulorum ritu vertas vi- tio. Cicero enim insignem se esse voluit oratorem, et indefessa idem a puero con- tentione factus est, vel si mavis audire, se fecit summum Romanorum oratorem et lin- guae latine politorem scitissimum. Quo- modo non accederet etiam ad philosophiam, qui orationem explicatam philosophiam es- se diceret? Quod Latini non erant, Grae- cis se philosophis in disciplinam dedit. Non fateberis et tu hoc quoque pertinere ad Ciceronis laudem, quod non minus Graece quam Latine philosophabatur, et decla- mabat? Itaque discebat Arpinas noster quae illi doctores tradebant, neque hodie inspicere possumus scholarum illarum ta-

bulas, ut descriptis illic notis hominis in philosophia progressum divinemus. Omnis se Tullius instructum volebat supellectili oratoria, se parem aut supparem Demostheni volebat, non Aristoteli. Et ultro fatemur Ciceronem, si aemulator fuisse Aristotelis, nunquam alterum Aristotelem futurum fuisse. Sed quonam pacto tandem in vitiis Ciceronis erit, quod non Aristolelis, non Augustini, non Thomae Aquinatis acumen singulari excelluit? Quorum si quis ordine ingeniorum Ciceronem habere velit, primi nos hunc Ciceronem neque fuisse, neque unquam se ipsum voluisse concludamus. Sed quod philosophiae, quoad vixit, deditus fuit, quod ex Graecorum auctorum libris quae digniora viderentur, primus Latinorum latine interpretatus est, quod primus sui elegantia stili popularibus suis ostendebat etiam linguam latinam idoneam ad philosophandum praebere formam, nonne ipsi summae tribuendum laudi est, non nobis magno esse debet gaudio, etsi non novas philosophiae aperuerit vias? Immortale Ciceronis est meritum, quod certo et sano iudicio ex tota Graecorum philosophia ea eligebat sibi tractanda et latina elegantia perornanda, quae prodesse possent popularibus. Nam illis temporibus philosophi hominum fingeant mores eo fere munere, quo post conditam Ecclesiam curatores animarum ad bene vivendum nos efformant.

Non dico Tullium in suis libris philosophicis non pauca posteritati servavisse, quae ad philosophiae historiam pertinent, quae sine eis libris ignoraremus; quam ille subtiliter in libris *de Natura Deorum* (ut I, 2, III, 2, II, 37) describit mundi ordinem, quo intelligamus praeesse supremum mundo numen! Quam vicinus est veritati haec anima naturaliter christiana, quum disputat de natura et immortalitate animae hominis! Quam recta ille proponit praecepta vitae in libris *de Officiis* ad Marcum filium! Non potuit qui evangelium non

noyisset scribere rectae rationi convenientius. Prophetam audire videris quem leges quae Lactantius ex tertio eius *de Republica* libro (22) transcripsit: «Est quidem vera lex recta ratio naturae congruens, diffusa in omnes, constans, semperita, quae vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat; quae tamen neque probos frustra iubet aut vetat, nec improbos iubendo aut vetando movet. Huic legi nec abrogari fas est neque derogari ex hac aliquid licet neque tota abrogari potest, nec vero aut per senatum aut per populum solvi hac lege possumus, neque est quaerendus explanator aut interpres eius alius, nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed et omnes gentes et omni tempore una lex et semperita et immutabilis continebit, unusque erit quasi magister et imperator omnium Deus, ille legis huius inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet ac naturam hominis aspernatus hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi certa supplicia, quae putantur, effugerit».

S. Augustinus certe Ciceronis Hortensio se ad studium sapientiae excitatum esse confitetur in *Confessionum* suarum libro tertio (4), ubi hoc se in illa exhortatione dicit delectatum, quod non illam aut illam sectam, sed ipsam quaecumque esset, sapientiam amplecteretur. Accensum se esse; solum illud in tanta se refregisse flagrantia, quod non esset ibi nomen Christi. Quod nomen si Tullius cognovisset, si duobus saeculis serius natus esset, assentior Alberto Weiss, Dominicano, aliquo Ioanne Chrysostomo Christi Ecclesia hoc lumine oratorio esset ditior.

Dicamus hoc loco, quod non tantum de philosophicis libris, sed de operibus Tullii universis rectissime praedicatur: per omnia fundi eam morum integritatem et verecundiam, ut Cicero tuto tradatur in manus adolescentium. Tales illius aetatis scriptores perpaucos invenias, eoque mi-

hi maior Tullius est. Et si tua interest cognoscere exemplum illius pudoris, perlege quam edidit ad Paetum epistolam.¹

ANDREAS HABERL

COMMUNIA VITAE

DE PRIVATIS LUDIS ANTIQUIS ET RECENTIORIBUS²

Digitorum micatio. — Ludus et hodie frequens apud Italos, qui *morra* eum vulgo appellant, et *mourre* Galli. Lusores digitis micant, et utraque manu protensis aliquot digitis, dicunt: quinque, aut tres, aut septem etc., divinare conantes numerum digitorum qui prodeunt. Sortitio erat, et plerumque est, iaculationum vinosarum, sequens digitos versatiles manuum, quorum alii attolluntur, alii intra volam concluduntur colligati. Varro in *Parmenone*: Micandum erit cum Graeco, utrum illius numerum, an ille meum sequatur. Unde proverbium: «Dignus quicum in tenebris mices»; quod de eo dicitur qui si usque adeo certa fide, ut nec si tuto possit, velit quempiam mendacio fallere.

De castello nucum. — Lusio puerilis fuit, quae hodieque tenet — (quis nostrum puer eam non usurpavit?) — quum castellum e nucibus componeretur, de qua Ovidius (*de Nuce*):

Poma cadunt mensis non interdicta fecundis,

Et condit laetas parca colona nuces.

Hac puer aut certo rectas diverberat ictu,

Aut pronas digito bisve semelque petit.

Quatuor in nucibus, non amplius, alea tota est,

Quum sibi suppositis additur una tribus.

Per tabulae clivum labi iubet alter et optat

Tangat ut e multis quaelibet una suam.

¹ Ad Fam., IX, 22.

² Cfr. fasc. sup.

Fit quoque decreta qualem caeleste figura Sidus, et in Graecis littera quarta gerit. Haec ubi distincta est gradibus quae constituit [intus, Quot tetigit virga, tot capit ipsa nuces.

Vas quoque saepe cavum spatio distante locatur, In quod missa levi nux cadat una manu.

Plures scilicet Ovidius attingit nucum ludos. Primus enim est quum rectae nuces statuantur, deinde quum certo ictu dei- ciantur, aut digito pronae decutiantur, aut tribus una imponatur castellumque fiat, quod iactu nucum diruatur aut in tabulam declivem, in qua multae nuces sint, aliae iactae eas tangant, quae in tabula sunt. Tum *delta* littera (Δ) pluribus nucibus compositis exprimeretur, quasi caeleste sidus, et virga tangeretur, aut in vas ca- dum a longe nuces coniicerentur, quare vel in cavum intrarent, vel deciderent quum non intrassent.

De illo castello e quattuor nucibus con- flato Phiso Judeaus in *Casinopoea* haec scribit, quae latine conversa referimus: «Qui nucibus ludunt, solent in plano tri- bus compositis nucem unam imponere, fa- ciuntque pyramidem. Triangulus igitur in plano puellulis stat usque ad ternarium, nux imposta quaternarium numerum facit, sed inter figuram pyramidem, quae iam solidum est corpus».

Pueri olim nuces in sinu vestis gere- bant, ludebantque, et a parentibus depre- hensi poenas dabant. *Martialis*:

Alea parva nuces, et non damnosa videtur.

Saepe tamen pueris abstulit illa nates.

Horatius:

Postquam te talos, Aule, nucesque

Ferre sinu laxo vidi...

De Basilinda et Dielcystinda. — In lu- do, cui «Basilindae» nomen fuit, unus aliquis sorte rex fiebat iubebatque quid agi vellet; ceteri parebant. Pueros in-

ter ludendum sibi regem ponere docet Horatius :

At pueri ludentes rex eris aiunt,
Si recte faxis.
Rosci dic sodes melior lex, an puerorum
Naenia, quae regnum recte facientibus
[offert?]

In ludo « Dielcystinda » duae sunt puerorum partes, alii alio trahentes. Victoria penes eos, qui alios ad suas partes traxerit. Inde ne lusus, quem « bellum Gallicum » Itali nos vocamus?

Muinda, Chytrinda, Apodidrascinda, et Musca aenea. — Vulgaris adhuc ludus est, caeci appellatione (Italice : *A gatta cieca, A mosca cieca*). Hic variis modis agitur, qui praedictis nominibus respondent. Vulgaris est quem aliquis clausis fascia oculis ambulat, ceteri suffugiunt, et lassent ambularem; quemcumque manu apprehenderit, eum in locum suum substituit. Apud Graecos in *Muinda* aliquis connivens oculis voces sociorum observat, et quemcumque suffugientium arripuerit, hunc connivere cogit, et conniventem casu occultatos invenerit, et divinavit.

In *Chytrinda* aliquis in medio ponitur, sedetque: *olla*, seu *chytra* dicitur. Alii circumcurrentes vellicant eum et lassent ac feriunt. Ipse in orbem se vertens, si quem apprehenderit, eum in locum suum substituit. Estque interdum, ut quis capiti veram ollam impositam sinistra teneat manu, in circulo ambulans. Alii ipsum feriunt interrogantes quis ollam. Respondet ille: Ego Midas. Quemcumque contigerit pede, hic pro eo cum olla circumvit.

De *Apodidrascinda* ludo Pollux monet, quemdam in medio sedere clausis oculis, aut ab altero compressis; alias diffugere, ad quos illum inquirendos quum surrexit, hos certatim locum eius occupare.

In ludo *muscae aeneae* fascia pueri obligabant oculos, qui deinde clamabat: « Ae-

neam venabor muscam ». Alii respondebant: « Venaberis, sed non capies ». Tum funiculus eum caedebant, donec aliquem apprehendisset. Si autem quis oculis clavis circumviens alios quaerens oculis apriuisset, ne diu erraret, rursus claudere oculos et connivere cogebatur.

Epostracismus. — In hoc ludo testulam marinam in aquae superficiem mittebant, numerabantque quotiens subsilierit, priusquam aqua mergeretur. Ex saltuum enim, quos testa dedit, multitudine iacenti victoria adscribebatur.

Minucius Felix in *Octavio*: « Pueros videmus certatim gestientes, testarum in mare iaculationibus ludere. Is lusus est, testam teretem iactatione fluctuum levigatum legere de littore. Eam testam plano situ digitis comprehensam inclinem, ipsum atque humilem, quantum potest irrotare, ut illud iaculum vel dorsum maris ruderet, vel enataret, dum leni impetu labitur, vel summis fluctibus tonsis emicaret. Is se in pueris victorem ferebat cuius testa et procureret longius, et frequentius exsiliret.

(*Ad proximum numerum*).

I. M. F.

COLLOQUIA LATINA

Herilia iterum

CLETUS, SYRUS servus¹

CLETUS - Profer ocreas, nam equitare mihi hodie placet.

SYRUS - En, adsunt.

CLETUS - Probe quidem abs te curatae: totae albent situ. Opinor nec extersas, nec unctas hoc anno; adeo rigent pro siccitate.

¹ Ex ERASMO recognovit, deprompsit hodierna que viuae libere aptavit. I. F.

Exerge subruvido panno, mox unge diligenter, ac macera (madefac) donec mollescant.

SYRUS - Curabitur.

CLETUS - Ubi calcaria?

SYRUS - Adsunt.

CLETUS - Verum, sed obducta rubigine.

Ubi fraenum et ephippia?

SYRUS - Sunt in promptu.

CLETUS - Vide ne quid desit, aut ne quid ruptum, aut mox rumpendum, ne quid mihi sit in mora, quum ero in cursu. Propera ad sellarium et hoc lorum cura sarcidum. Reversus inspice soleas, sive calceos equi, num qui clavi desint, aut vacillent. — Quam macilentus factus est equus, quamque strigosus! Quoties abstergis aut pectis illum in anno?

SYRUS - Imo quotidie.

CLETUS - Nimirum res ipsa loquitur. Ieiunat, opinor, nonnumquam totum triduum.

SYRUS - Minime.

CLETUS - Negas tu quidem, sed aliud dicturus esset equus, si loqui liceret: quamquam satis loquitur ipsa macie.

SYRUS - Curo sedulo.

CLETUS - Cur igitur tu habilior equo?

SYRUS - Quia non pascor foeno.

CLETUS - Hoc igitur restat (impedit)? — Adorna manticam celeriter.

SYRUS - Fiet.

CLETUS - Quum autem ego profectus ero, erit tibi abeundum in forum.

SYRUS - Tam procul?

CLETUS - Non sunt nisi centum passus: tibi pigro sunt bis mille. Consulam autem tuae pigritiae: eadem legatione multa conficies negotia: tu supputa in digitos, ut me mineris. Primum deflectes ad vestiarium ac thoracem album, si iam pro me perfectus est, ab eo recipies. Hic ab epistolaram diribitorio quaeres num sint litterae ad me missae illic depositae. Deinde convenies mercatorem pannarium: rogabis meis verbis, ne quid sollicitus sit, quod

pecuniam non miserim ad diem praescritum: numerabitur propediem.

SYRUS - Quando? ad Calendas Graecas?¹

CLETUS - Quid mussitas, ganeo? Imo ad Calendas Martias. — In redditu deflectes ad laevam, et ex bibliopolis disces si quid advectum sit novellorum librorum: cognoscere qui sint et quanti venales. Post haec, rogabis Lepidum, ut mihi dignetur esse conviva; alioqui coenaturo soli.

SYRUS - (Etiam convivas vocat! Non habet domi ut vel murem pascat!).

CLETUS - Proinde, confectis ceteris, abi ad macellum, et eme quantum armi vitulini necesse nobis sit ad esum: quod curabis eleganter assum. Audin' haec?

SYRUS - Plura quam vellem.

CLETUS - At vide, ut memineris!

SYRUS - Vix potero dimidium. Quis possit unus tot rebus obeundis sufficere? Sum, heu miserum! a scopis, a matula, a pedibus, a manibus, a poculis, a libellis, a rationibus, a iurgiis, a legationibus: postremo non videor illi sat occupatus, nisi sim et coquus!

Epistolare sociorum commercium

Nova nomina latina rebus nostrorum temporum accommodata.

HANNES LISIUS JOSEPHO FORNARIO doctori plurimam dicit salutem.

Litteris tuis 23 iunii 1941 datis invitatus, ut nova nomina latina rebus temporum accommodata proponerem, hoc negotium tam difficile quam necessarium, quod mihi non secus cordi est ac tibi fuit in optatis, prompto animo suscepit, quo factum est, ut numerus non ita mediocris talium nominum paulatim ad me confluxerit, quae partim novata, partim apud scrip-

¹ Id est nunquam; Graeci enim nullas habuerunt Calendas; sed per *veouητιας* numerabant; per contrarium possumus dicere: « ad Neomenias Latinas ».

tores quosdam reperta, partim ex libro ad rem latinam pertinentibus exprompta nunc tibi ac sociis praeconii tui aestimanda traduntur. Huic autem opusculo, ut studiosis lectoribus, qui plerumque tuae sunt nationis, intellectu esset facilius, vocabula Italica idem declarantia quantum poteram adiunxi. Vale.

Series varia vocabulorum latinorum ad nostras exprimendas notiones congestorum.

1. *Adjutant* (*Aiutante*): apparitor. (Ammian. 25, 3, 14).
2. *Agraffe* (*Fermaglio*): fibula.
3. *Alarm* (*Allarme*): signum monituum.
4. *Allotria* (*Inezie*): ineptiae, sive nugae.
5. *Allotria treiben* (*Fare inezie*): alias res agere.
6. *Amphibolie* (*Anfibologia*): ambiguitas verborum.
7. *Apfelsine* (*Portogallo*): arangia dulcis.
8. *Apricose* (*Albicocca*): praequoium, vel praequoium. (Apicius 4, 176 et 184).
9. *Arbeitsamt* (*Ufficio di lavoro*): diribitorium operarium.
10. *Arrak* (*Aracca*): defrutum oryzinum.
11. *Athlet* (*Atleta*): luctator.
12. *Autarkie* (*Autarchia*): libertas vitae dispensatoriae; liberum rei dispensativa arbitrium.
13. *Ballett* (*Balletto*): embolium.
14. *Barok* (*Barocco*): barocum. (Adiectivum nominis: barocensis).
15. *Basteln* (*Occuparsi di cose da nulla*): res minutae de manu facere.
16. *Bezugsschein* (*Tessera d'acquisto*): libellus acceptorius; acceptoria tessera.
17. *Bleistiftspitzer* (*Temperalapis*): cuspidamentum, vel spicamentum plumbarium.
18. *Blitzlichtaufnahme* (*Fotografia al*

- lampo di magnesio*): imago flamma emicante creata.
19. *Bouillon* (*Brodo di vaccina*): sorbitio bubula.
 20. *Botanik* (*Botanica*): ars herbaria. (Plinius, *Nat. hist.* 7, 196).
 21. *Bretzel* (*Ciambella*): liscula, vel spirula.
 22. *Brisolett* (*Gnocchetto di carne*): isicum. (Apicius 2, 37 ad 50; 4, 138; 9, 412); ofella. (Apicius 7, 265 ad 269).
 23. *Brokatkleid* (*Vestito di broccato*): vestis plumaria.
 24. *Brokkoli* (*Cavolo, Broccolo*): caulinus. (Apicius 3, 81 ad 86).
 25. *Brustbild* (*Mezzobusto*): imago clipeata.
 26. *Bruttoregisterdonne* (*Brutto tonnella-ta di registro*): integra regestorum amphora.
 27. *Buchhändler* (*Libraio*): libellio; librorum venditor.
 28. *Bücherei* (*Libreria*): librarium. (Ammian. 29, 2, 4).
 29. *Bügeleisen* (*Ferro da stirare*): ferramentum pressorium. (Ammian. 28, 4, 19).
 30. *Butterschmalz* (*Burro, Strutto*): butyrum liquidum.
 31. *Chaussee* (*Ghiaiata*): via silice strata.
 32. *Damast* (*Damasco*): polymitum. (Plin. 8, 196).
 33. *Demobilmachung* (*Disarmamento*): dimissio militum.
 34. *Demokratie* (*Democrazia*): civitas popularis; potestas popularis.
 35. *Demokrat* (*Democratico*): homo popularis.
 36. *Dentist* (*Dentista*): dentiductor; opifex dentarius.
 37. *Derby* (*Corsa di cavalli*): ludus equestris. (Ammian. 14, 11, 12; et 28, 4, 31).
 38. *Desinfektor* (*Disinfettatore*): suffitor.

39. *Desinfektion* (*Disinfezione*): suffitio.
40. *Dränage* (*Drenaggio*): deductio, vel derivatio aquae.
41. *Druckbogen* (*Foglio stampato*): plaga typis descripta; plagula emendanda.
42. *Duell* (*Duello*): certamen singulare; pugna singularis.
43. *Egoismus* (*Egoismo*): cupiditas sui; cupiditates.
44. *Einbahnstrasse* (*Strada carrozzabile in una sola direzione*): via una regione permeanda; via in unam partem pervehenda.
45. *Eisbein* (*Zampetto di maiale lesso*): crus porcinum; unguella porcina. (Apicius 1, 9); ungula suis. (Plin. 25, 41).
46. *Eiweiss schlagen* (*Fare la chiara*): albamentum ovi conficere, vel subigere.
47. *Enthusiasmus* (*Entusiasmo*): inflammatio animi; incitatio mentis.
48. *Etagere* (*Scaffaletto*): calicularium.
49. *Etiquette* (*Etichetta; Ceremoniale*): sollemnitas. (Ammian. 25, 8, 16).
50. *Feldküche* (*Cucina da campagna*): castrense coquinatorium; castrensis culina.
51. *Felge* (*Quarto del cerchio d'una ruota*): orbile.
52. *Fernsprecher* (*Telefono*): translocutorium.
53. *Fernsprechant* (*Ufficio telefonico*): officina translocatoria.
54. *Fernsprewesen* (*Telefonia*): res translocatoria.
55. *Ferngespräch* (*Discorso telefonico*): transloquium.
56. *Fernsprechen* (*Telefonare*): transloqui.
57. *Filzschuh* (*Scarpa di feltro*): udo.
58. *Firnis* (*Vernice*): amurca.
59. *Flak = Fliegerabwehrkanone* (*Cannone antiaereo*): ballista, vel tormentum propulsandis volatoribus.
60. *Fliegeralarm* (*Segnale di pericolo aereo*): signum periculi aerii.
61. *Franktireur* (*Franco tiratore*): latro.
62. *Frondienst* (*Angheria*): angaria; labor angarialis.
63. *Füllfederhalter* (*Portapenne riempibile*): calamus completivus.
64. *Funker* (*Radiografista*): radiarius.
65. *Funkspruch* (*Radiogramma*): nuntium radiale.
66. *Gamasche* (*Ghetta; Uosa*): pedulis.
67. *Gasmaske* (*Maschera antigas*): persona gasoria.
68. *Geistesgeschichte* (*Storia dello spirito*): historia ingenii humani.
69. *Genealogie* (*Genealogia*): origo familiarum.
70. *Generalstab* (*Stato maggiore*): magisterium belli apparandi.
71. *Generalstabschef* (*Capo di stato maggiore*): magister belli apparandi.
72. *Geometria* (*Geometria*): linearis ratio.
73. *Gerberlohe* (*Tannino*): erodontia coraria. (n. pl.).
74. *Geschäftsträger* (*Incaricato d'affari*): confector negotiorum.
75. *Granate* (*Granata*): granata displosibilis.
76. *Gravitation* (*Gravitazione*): vis et gravitas; nutus.
77. *Grünkohl* (*Cavolo verde*): eruca viridis. (Hor. Sat. 2, 8, 51).
78. *Grütze* (*Tritello*): alica. (Apicius 2, 53; 3, 86; 8, 372).
79. *Gulasch* (*Cibi delicati*): copadia. (n. pl.) — Apicius 2, 59; 5, 187; 7, 280 ad 286; 8, 359).
80. *Haarschneidemaschine* (*macchina da tagliare i capelli*): machina tonsoria.
81. *Halbschuh* (*Pantofola*): semiplotium.
82. *Harpune* (*Fiocina*): puscina. (Petron. 109, 6).
83. *Heizung* (*Riscaldamento*): calefactio, vel calefactorium. (Thes. ling. lat. 3, 146).